



P 246

Br. 32. num. 30.

1689

44.
D. HIERONYMI ANDREAE
HOC EST
PER CELEBRIS IURISCONSULTI ET POETAE
GOTOFREDI WILHELMI
SACERI
I. V. D. ADVOCATI ORDINARI IN CANCELLARIA DUCALI
WOLFERBYTANA, ET CONSVENTIS CAMERAE
COMMENTATIO
DE
**POTESTATE PATRIS IN
FILIAM MARITATAM**

SEV
DISCUSSION
QVAESTIONIS,

AN FILIAFAMILIAS A NEXIBVS PATRIAE POTESTA-
TIS, ETIAM ADVERSANTE JVRE COMMUNI ROMANO-
CAESAREO, SEV JVSTINIANEO, IN OMNIBVS PROVIN-
CIIS GERMANIAE INDISTINCTE, PRAESER-
TIM AVTEM

IN DVCATV BRVNSVICO - LVNEBVRGICO
WOLFERBYTANAEC PARTIS

PER NUPTIAS ITA LIBERETVR, VT STATIM IN SOLIVS MA-
RITI POTESTATEM TRANSEAT?

EDITIO SECUNDA
QUAM PROCURAVIT, ATQUE PRAEMISSA AVCTORIS VITA LOCUPLETAVIT
M. WILHELMVS CHRISTIANVS JVSTVS
CHRYSANDER.

HELMSTADII A. 1745.
ST ANNO SCHNORRIANO.



GOTOFREDI WILHELMI
SACERI

NEPOTI
EX FILIA, EVA SOPHIA SACERIA,
DIGNISSIMO,

VIRO
PERILLVSTRI, AMPLISSIMO ATQVE
CONSULTISSIMO

IOANNI GEORGIO
SCHLVTERO

SERENISSIMO CELSISSIMOQUE BRVNNOVICENSIVM AC
LVNAEBVRGENSIVM DVCI

A CONSILIIS IVSTITIAE INTERIORIBVS,
PERILLVSTRIS ET VENERANDI TRIBVNALIS, QVOD RES
ECCLESIASTICAS IN DVCATV BRVNNSVICENSI CVRAT,
ET MEMBRO LONGE GRAVISSIMO, ET VICE-
PRAESIDI MERITISSIMO,

EIVSDEMQVE SERENISSIMI DVCIS CONSILIARIO
IN REBUS COENOBIALIBVS DEXTERIMO
ET SPECTATISSIMO

A V I T A M

HANC, ANTE LVI. ANNOS HELMSTADII
EDITAM,

COMMENTATIONEM IVRI-
DICAM,

PROPTER PRAESTANTIAM RARITATEMQUE
TYPIS ITERVM DESCRIPTAM,
EA, QVA PAR EST, REVERENTIA OFFICIOSISSIME
OFFERT,

SIMVLQVE,

VIRO TAM INGENVO ET HUMANO, TAM SA-
GACI ET ERVDITO, TAM VERSATO AC STRE-
NVO, TAM PRVDENTI ET GRAVI, TAM IN-
DEFESSO ET MITI, TAM PRAECLARE
DE RE COMMVNI MERENTI
VITAM AC SALVBERRIMA QVAEQVE APPRE-
CATVS,
EIVSDEM LAETABILI FAVORI IN POSTERV M ETIAM
SE SVAQVE COMMENDAT

EDITOR

W. C. I. CHRYSANDER.

Vitae

Vitae curriculum b. Saceri.

Meretur GOTOFREDI WILHELMII SACERI memoria
renouari, nouataque propagari, sive ipsum hunc non modo
ingenio atque doctrina clarum, et multa peregrinatione ex-
cultum, verum etiam DEO sacratum virum, sive posteros e-
ius species. Atque licet non nullas memorabiles vitae ra-
tiones SACERI nostri iis addere, quae quidem recensae sunt
ad calcem laudationis funebris, anno 1698. d. 17. Sept.
die dom. XXV. post Trinit. a CHRISTIANO SPECH-
TIO Superintendentे generalissimo in ducatu Brunsuicensi,
Confiliario ecclesiastico, et abbate Riddagsbusano, in aede
B. M. V. publice institutae, ac deinde Wolfenbüttelae 8. pla-
gulis apud Casp. Io. Bismarci viduam typis expressae.

Patre usus ANDREA SACERO, Confule primario
Naumburgensi, et matre Euphemia Romania a Mockers-
hausen, anno c13 16XXXV. d. XI. Jul. primam huius vi-
tae lucem adspexit, in communionem vitae Christi autem d.
XIII. Jul. per sacrum lauacrum transit. Positis in schola
patria fundamentis tum in linguis, tum in Logica et Re-
thorica disciplinis, praeeunte maxime Rectore clarissimo M.
Salzmanno, A. C. 1649. aetatis suae 14, ludum Naumburgen-
sem cum Portense commutauit. In hoc per triennium ultra
sex menses studia humaniora et linguas excoluit, publicaque
profectuum in lingua Latina Graecaque specimenia dedit.
Quum vero, deostris arbitris praeceptoribus, dignus et
maturus esset, qui ad altiores Musarum sedes cum fructu
pergeret: habita valedictione publica 1653. d. 2. Maii, iusu
patrii, Jenam sese contulit. Prudentissime heic quidem per-
triennum in philosophia et politiori litteratura se exercuit;
iuridica autem collegia 1655. demum frequentare coepit.
Reliquit hoc bonae mentis hospitium anno 1657, quum Ex-
cellentissimus Claus von Platen, Electori Brandenburgico

et consiliis secretioribus; et Director Cancellariae bellicae,
vellet, ut SACERVS noster sibi a litteris esset; qui cum et-
iam, ut praedicare est solitus, mira cum humanitate ac pa-
tientia in filio curiae ipse erudiit. Praefectus deinde filio
FRIDERICI DE POHLEN, Cancellarii Suecici, et colle-
gi, quod terras Pomeranicas pro rege regit, membra gra-
uissimi, GrypsWaldiam eum comitatus est, itemque Fran-
cofurtum ad Viadrum, ut celeberrimum BRVNNE MAN-
NVM audirent. Huius commendatione factum est, ut a.
1661. generosissimi Rudolphi de Bunau, Electoralis Saxonici
provincialis praefecti in Lusatia inferiori duobus, filiis cu-
stos morum et comes in itineribus adiungeretur. Hos in
Lipsiensem academiam deduxit; biennioque in illa exacto,
Ienam rediit, ubi praefide D. RICHTERO de Antinomii
Juris ciuilis et Canonici disputauit. Cum iisdem Vinari-
am profectus, innotuit Baroni cuidam de Kufstein, amato-
ri poësos. Huic poëmata Latina et Germanica, a Sacero
ipsi oblata, ita probabantur, ut is deinde, minime roga-
tus, Lauream nobilem, a Caesare ipsi impetraret, atque
Vienna transmitteret. Postquam cum iisdem generosissi-
mis Iuuembus Neukirchiam, prope Halam, petierat, ut a
celeberr. D. zum Felde proficerent, excurrit Spiram;
ubi integro fere anno substitit, Patroni sui caussas sollicita-
uit, stilumque camerae sibi familiarem reddidit. Argentorati autem quum degeret, auocabantur domum iuuenes,
ipsius curae commissi. Tunc Tübingam commigravit,
aliisque vicinis urbibus imperialibus inuisis, venit
Hamburgum. Post haec a legato et praefecto ur-
bis Lüneburgae, perillustri de MOLLISON partes
SECRETARII in sua legione sibi conferri passus est. E-
iusdem autem suasu, signiferi locum haud repudianit. Quum
vero huic officio militari vix annum integrum et dimidi-
um praefuisse; atque pater ipsius nollet, ut bunc locum di-
utius

uius teneret: ad academias redeundum esse putauit, extra
quas viuere, hoc esse, pessime viuere, ipsi quidem tunc vide-
batur. Moliebatur igitur iter Kiloniam, ut ibi pro gradu
doctoris disputaret. Sed intercepto hoc propositum opportu-
na occasio exteras regiones perlustrandi. Qua arrepta,
cum filiis generosissimi Holsatii equitis Gosch. a Thienen
anno 1667. Bataiam ac Daniam peragravit, et maxime
memorabilia annotauit. Donec prouidentia diuina Bruns-
uigam eum deferebat. Vbi quum fortuna ipsi, praxin, vti-
vocant, obeunti, mirifice faueret, decreuit, in his felicis-
simis ditionibus Brunsuicensibus, persistere, ratus, Deum ad
homines per negotia loqui.

Anno 1671. mense Februario, dante DEO, rite despon-
satus est, filiae virginis IVLII CONRADI STOCKHAVSEN Affer-
ris dicasterii aulici natu maiori, MARIAE AGNESAE.
Martio autem mense sponsas nuptias rite contraxit et con-
summauit, constitutus interea temporis aduocatus ordinari-
us dicasterii aulici et cancellariae. Eodem anno summos in
iure honores in Academia Albertina impestrauit. Anno autem
1690. tam docto et dextro viro dignitas consulentis camerae
ducali collata est; quam post nouennium cum vita de-
posuit; morbo difficillimo atque diurno d. XI. sept. A.
et I. CLXXXVIII. exstinctus Wolfenbüttelae.

Pater fuit quinque filiarum, quarum EVPHEMIA
DOROTHEA anno iam aetatis quinto haec saecula reliquit.
EVA VERO SOPHIA patre viuo IOANNI HENRICO SCHLÜ-
TERO Aduocato Fisci et camerae ducalis, ciuitatis Wolfenb.
consuli meritissimo nupsit. Etiam CATHARINAM MARIAM ipse
vidit maritam GEORGII NITSCHII, optimi pastoris ad
aedem Trinitatis, quae Wolfenbüttelae est; Gotham deinde
vocati. Iam defuncto autem pio parente, ANNA HEDE-

WIG,



WIG, IVLIO PHILIPPO MACKENSEN J. V. Practico,
ac deinde Consulenti camerae in connubium cessit. E quo
produisse, haud omiserim, neptem Sacero, si viueret, in primis
laetabilem; puta, illud sexus sui decus, nunc coniugem viri
eruditissimi, integerrimi, grauissimi et fidelissimi IO. GE-
ORG. OLDEKOPPII, Ecclesiastae Aulici, et Archidiaconi
ad aedem B. M.V. Wolfenb. Natu autem minima SACER filia
MARGARETHA ELISABETHA, A BVRCHARDO
MARTINO HVET Regi Borussiae & consiliis in commis-
sionibus, et praefecto nomi Stötterlingenburgensis et Wül-
perodensis in felix matrimonium allecta est; secundum
et filio, et filia, iam uxore viri spectatissimi C. I-
SENBARTII, consulis ciuitatis Helmstadiensis dex-
terrими. Solitus est beatus S A C E R V S asseuera-
re, si vel maximus filiorum numerus sibi diuinitus
contigisset, vel contingaret, se tamen non permis-
sum, ut unicus iurium studio et caussarum patrocinii
suscipendis se addiceret. Tantum periculi videbat et expertus
erat hic prudenterissimus, sed favoris diuini vere cupidus,
ICtus, in eorum vitae genere, qui litigantibus adiunt. I-
deo ipse saepissime, praesertim in causis arduis et criminale-
bus, officium gratuito praestabat; semper autem summam
cautionem adhibuit in perorationibus, interpretationibus le-
gum et illationibus, ne durae, ne alte petitae essent, et quo
minus, ut ait scriptura, dulce iudicium verteret in absinthium.
Quantopere beneficentiam sine spe praemiorum e-
xercuerit, quot pupilos vestibus instruxerit, pluribus non
enarrabo.

SACERV M nostrum perspicacem et versatum fuisse
Tbemidos ministrum, si non alia multa specimina demon-
strasset, sola haec discussio quæstionis edocere posset.
Quam certas quidem ob caussas, recto vero nomine suo A. 1689.
apud

apud Frid. Lüderwald promulgavit; sed pro sua inter suos habuisse perhibetur; testibus iis, qui rem optime nosse potuerunt; testibus litterarum ductibus et figuris, fronti eius exempli, quod mihi ad manus est, in ora inscriptis, et cum multa scriptura beati viri, in libro quodam eius cantico obuia, collatis; teste etiam quodammodo re ipsa, litteris ibi consignata; et nomine Patris ANDREAE, et nominis Graeci HIERONYMI, quod idem est, ac SACER legi; testibus itemque aliis argumentis, in ipso libello offendendis.

Neque vero solummodo iuris peritum, verum etiam probum theogum, philogum et poëtam fuisse eum, patuit e non paucis laudationibus funebris, in aula ducali etiam habitis, et loquuntur eum talem haud ignota plurima, quamquam non magna, scripta, schediasmata, et piae odae. Postremarum indicem quendam heic eo lubentius subiungam. Partim quo aegrius ipse SACERVVS noster tulit, se etiam viuo psalmos non nullos, quos pro suis agnoscebat, aliis auctoribus tribui, alias contra odas, quas suae pietatis ingeniique fructus esse negabat, sibi SACERO adscribi; e. c. eum qui incipit a verbis: Freunde stellt das Weinen ein/ u. s. f. Partim quo gravior hic indiculus certus celsissimo et illustrissimo cuidam viro fortean fuerit, curatiorem sacrorum hymnorum historiam nunc molienti. In libello illo, Francofurthi ad Moenum 1668. edito, qui iphus manegēt nostri usibus, teste locuplete filia, inseruit, video SACERVVM alios hymnos suos calamo immutasse ac magis minusue emendasse, alios auxisse stichis aliquot, quasi per errorem in libello isto, typis presso, illi omisi fuissent. e. c. in cantione Nun hab ich obgesieget it. Gott der Du aller Himmel Heer. it. Herr auf dein Wort sols seyn gewagt it. Dich mein Gott will ich erhöhen/ ac Ach wer hängt hier so todten-bläß, aliis aliam melodiam inscripsisse. Ii autem hymni, quos ipse in catalogo huius libelli cantici, subducta nigra linea, annotauit, atque pro suis agnouit, sequentes sunt:

:)

Ach



W^och stirbt denn so mein aller liebstes Leben
W^och was hab ich ausgerichtet
Ach wer hängt hier so todten-bläß
Barmherziger O^rtt und Vater
Bis hieher ist mein Lauf vollbracht
Dich mein O^rtt will ich erhöhen
Durch Trauren und durch Plagen
O^rtt der du aller Himmel Heer
O^rtt dir sey Dank gegeben
O^rtt du suchst mich mit Krankheit
O^rtt fähret auf gen Himmel
Herr auf dein Wort solls seyn
I^stu meiner Freuden Freude
Kom sterblicher betrachte mich
Merk auf mein O^rtt
Mein Seelichen schwinge dich empor
O daß ich könnte Thränen genug vergießen
Reiß durch bekränkte Seele
Schau Mensche, schau mich, rufet der Erlöser
So hab ich obgesieget
Wie lieblich sind doch deine Fuß

De properabam Helmstadii d. 7. Maii A. 1745.

VIRO



VIRO MAGNIEICO
PRAENOBISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DN. CASPARI ZIEGLERO
ICTO CONSVMMATISSIMO,

S. P. D.

A V T O R.

MAGNIFICE, PRAENOBISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME
DOMINE, FAVTOR AC PATRONE OPTIME.

Literas Tuas tertio Maji ad me datas, quibus pagellis meis contra nonnullorum perhibitam consuetudinem generalem Germaniae, emancipandi filias per matrimonium, conscriptis, album adjecisti calculum, jam adulto Majo accepi. Nescio tamen, an $\alpha\zeta\omega\mu\alpha$, an vero indicium animi in me propensi majus in iis contineatur. Igitur a me impetrare non potui, ut approbationem, qua meam scriptiōnem, (propter rerum mearum conditiōnem fere festinatam & incomtam,) cohonestare voluisti, eidem praefigerem; Ut ut eam vel maxime condecorare potuisset. In quo si Tuæ affectiōni, de qua tot annis experimentis mihi constat, non satisfecerim, ignoscet; Nam hactenus hoc temperamentum mihi semper indixi, ne videri potuerim, majora meritis meis mihi asfliccere voluisse.

: (2

Cæ-

¶) o (¶
Cæterum, Tuis, *Vir Magnifice*, auspiciis, discussionem memoratæ Quæstionis, in publicum ire sino, ut Tuæ obtemperem voluntati, qui *naufragi* calami mei esse soles. Prævideo quidem, pro sua quemq; affectione hæc aut illa probaturum improbaturumve esse, neque defore quempiam, qui suspiciones concipiendo, nescio quam temerariam præconceptæ alicujus opinionis pertinacitatem, aut audax aliquod contradicendi studium malevole sit imputaturus. Sed hoc exspectandum plane universis, qui proponi sui cujuscunq; modi operis quippam in publicum voluerint, ut non eadem omnium de illo sententia feratur, cum ex convivis ad unas epulas invitatis, tres saltem dissentire Poëta affirmet:


Poscentes vario multum diversa palato.

Id quod mihi quoque scribenti ante oculos animumque fuit. Itaque saepius inter describendum manus sublata est, tandem vero scriptione absoluta, tanti confirmatæ Autoritatis Viri, aliorumque juris simul & prudentiæ Consultorum judicio accidente, consilium edendi adhaesit. Quicquid alii senserint, perinde erit; mihi satis, si Tui similes, Patrone Optime, rem totam æqua veritatis lance librantes, institutum meum non omnino improbaverint. Vale, mihiique solitum Tuum Favorem perpetuum serva, utque facias, debita a Te observantia peto. Dabantur pridie Nonas Junii Anno 1689.

-¶) o (¶-

Red-





A. & Ω.



Redditæ mihi sunt literæ una cum ad-
versæ Partis Deductione Quæstionis;
an bodie Filiafamilias a nexibus patriæ
potestatis, etiam adversante jure com-
muni Cæsareo, seu Justiniano, in omnibus
provinciis Germaniae indistincte, præser-
tim autem in Ducatu Brunsvico-Luneburgico, VVolfer-
bytanæ partis, per Nuptias, ita libereatur, ut statim in
Solius Mariti potestatem transeat? Et cum, de jure hujus
Quæstionis, adjunctæque Scriptionis placito, sensus meos
ut explicem, petatur, eam diligenter perlegi, operæque
pretium me facturum existimo, argumenta, quibus Claris-
simus adversæ partis causæ Patronus Affirmativam satis
laboriose adstruere nisus est, curatius investigare. Depre-
hendo autem multa ab eo Viro optimo, occupationibus a-
liis forsitan obruto, non satis animadversa, & pleraque a mag-
ni nominis Doctoribus, ad quorum suffragia provocavit,
aliter ac res ipsa se habet, aut credita, aut ab ipso nimium
festinanter tradita & acommodata esse. Hinc, quantum
mihi quidem, pro judicii mediocritate perspicere licet,
Negativam veritati magis consentaneam esse, ab omni par-
tium studio remotus, autumo. Quam immerito a con-
tradicente impugnari, jure vero meritoque a penitus
rem considerantibus propugnari ex sequentibus elucebit.
Ne autem confuse & sine ordine procedam, primo rati-
ones pro firmando Negatione præmittam. Deinde

A

Ad-

Adversæ Partis argumenta affirmativa ingenue enarrabo.
Denique, Deo juvante, ea refellere conabor, tribus hisce
capitibus hanc controversiam determinaturus.

RATIONES DECIDENDI.

Ad Quæstionem ipsam quod attinet, certum est,
secundum jus commune Cæsareum, Nuptias modum non
esse dissolvendi Patriam potestatem. In illo enim indi-
stincte traditum est, Filiam nuptam manere in potestate
Patris. Textus, quibus probatur Filiam, quæ nupsit ma-
nere in Patria potestate sunt in §. 2. *Inst. d. SCto. Tertyll.*
ubi mater trium liberorum dicitur in potestate Patris.
In L. patri 20. ff. de adult. ubi scribit Papin. patri concedi
potestatem occidendi adulterum cum filia, quam in po-
testate habet; cui omnino consequens est, filiam uxorem
in potestate parentis esse; quomodo enim adulterium
committeretur, si uxor non esset. *L. i. §. ult. ff. de injur.*
ibi uxori, filiæfam. Siinjuria facta sit, actio datur Patri.
L. i. §. 1. ff. de liber. agnosc. nupiæ. 18. ff. de ritu nupt. *L. 51.*
§. 7. C. de nupt. ubi divortio factò in repetendis nuptiis
requiritur consensus Patris: Et apertissime quod innu-
meris locis tractatur de jure Patris in repetenda dote,
ubi filia est, vel ante mortem fuit in Patria potestate.
L. 2. §. 1. L. quotiens. 29. ff. Solut. matrim. L. eas. 8. & 9. ff. de
cap. min. vid. Helfric. Hunnius lib. I. variarum Resolut. juris Ci-
civilis. tract. 3. qu. 35. Reinhart Bachovius comm. in Instit. tit de
Nuptiis §. 1. n. 5. & ad tit. quibus medis jus Patr. potest. solvi-
tur. §. 10. n. 2. J.B. Villalob. in commun opin. lin. F. n. 58. Fichard.
in addit. n. 6. Fr. Vicius regul. Filius fam. Et bos laudans Caspar
Manzius. de Testam. tit. 2. Qu. 1. n. 123. per L. 51. uxor C. de
condit. insert. Jul. Clarus §. testamentum qu. 18. n. 3. Ex eo
etiam

etiam appareat, quod Imperator, postquam tradidit, quomodo Patria potestas constituantur, paulo post docuerit quomodo rursus dissolvatur. Etenim in tit. Instit. quibus modis jus patriæ potest. solvit, Singulos modos solvendi patriam potestatem ordine recenset; Et primo quod solveretur morte naturali patris, secundo morte civili, tertio Dignitate Patriciatus. quarto Emancipatione. Postremo, adoptione. Nullam autem, & ne minimam quidem mentionem facit matrimonii. Inde concludendum, Nuptias non esse modum dissolvendi Patriam potestatem, alioquin nulla esset ratio, cur Imperator cœteris modis, quibus Patria potestas solvi deberet inculcatis, hunc modum silentio pressisset. Ex his dicendum mihi videtur, per nuptias, nisi Pater specialiter & expresse se declaraverit, literisque & testibus confirmaverit, (quod loco solennis emancipationis esse potest,) Filiam e patria potestate non dimitti. Secundum mores Saxonicos quidem, & ubi jus Saxonicum viget, statim celebratis nuptiis uxor a patria potestate liberatur, & in tutelam & potestatem viri transit. Quod notorium est. Jure civili vero aliter sese res habet per L. 2. C. qui dar. tut. vel curat. poss. & in §. penult. Instit. de excusat. tut. Non tamen nego Patriam potestatem matrimonio filiae quodammodo imminui: sequitur enim nupta Mariti, non Patris domicilium & forum jure communi. L. cum quædam, 19. & ibi not. ff. de jurisd. omnium Judic. & l. exigere 65. ff. de Judic. Fit etiam uxor ejus civitatis civis, cuius & vir est. gloss. in l. cives & ibi. Bartol. C. de incol. lib. 10. Idem quoad concubitum & operas de jure civili Vxor est in potestate mariti, non etiam patris. Per text l. ficut. ff. de oper. lib. Bartol. in l. 1. ff. de injur. in cœteris vero per

nuptias neutquam tolluntur effectus Privilegiorum Patriæ potestatis , quibus Parentes jure communi gaudent. per l. qui in potestate. ff. de testam. & gloss. in L. filia. ff. solat. matrim. Angelus. in §. Instit. de injuriis. Consequens ergo est, in iis territoriis Germaniæ , ubi ex jure communi causæ decidi debent, & per consuetudinem municipalem vel localem contrarium introductum esse , doceri nequiverit, secundum jus commune Cæsareum , quod nos ci-
vile dicimus, quoad cœterā pro patria potestate esse pro-
nunciandum.

Vt vero ad Ordinationes Provinciales Serenissimorum Ducum Brunsvico - Lyneburgensem deveniam ; In iis jus commune Cæsareum expressissime introductum est, Ju-
dicesque jubentur secundum dictamina juris illius lites decidere, quoties quidem lege Provinciali, vel consuetudine in hoc Ducatu approbata nihil peculiariter definitum extet. In memorato inclyto Ducatu Brunsvico-Lyneburg. parte Wolfenbutelensi a Serenissimo Augusto Duce, gloriose memoriæ, ita Anno 1663. cautum est de jure in Dicasterio Au-
lico observando : Tit. V. Unsere Vice-Hoffrichter und As-
sessores sollen die fürkommende Sachen richten / nicht nach Sachsen-Recht / als welches in unserm Für-
stenthum / Graff-Herrschäften und Landen nicht statt hat / sondern nach des Heiligen Römischen Rei-
ches gemeinen Rechten / constitutionen, und Abschlie-
den : Ingleichen nach denen in unsern Fürstenthum / Graff-Herrschäften und Landen verhandenen / oder noch in künftig publicirenden Landtags-Abschieden / Constitu-
tionen / Ordnungen / Statuten, Gewohnheiten und Her-
kommen &c.

In eandem sententiam constitutum est in Ordina-
tione Cancellariæ Woffenbuttelensi Anno 1651. promul-
ga-

gata Articulo 54. ibi: In Decisionibus sollen sie sich rich-
ten nicht nach Sachsen-Recht / als welches in un-
sern Fürstenthum / Graff-Herrschäften und Landen
nicht statt hat / sondern nach des Heiligen Römi-
schen Reichs gemeinen Rechten &c. Quæ sanctiones
concordant cum Ordinatione Judicij Aulici Hannoverani
Tit. 3. ut & Ordinatione Cancellariæ Cellensis. Tit 1.
§. 1.

Ex hisce manifestum est, usum juriis Saxonici in
hoc Ducatu abrogatum, ejusque in locum in Forum uni-
ce receptum, Jus Commune Cæsareum, in quantum Juris
statutario & consuetudinibus specialibus & localibus per
Provinciam usitatis & approbatis, non adversatur. Si
igitur juxta Sanctiones Ducales, deficientibus Patriæ
constitutionibus, statutis & Consuetudinibus approbatis
jus commune, excluso Jure Saxonico in Ducatibus Brun-
svic. & Luneburg. observari debet, sequitur morem illum
quo filia secutis nuptiis a patria potestate liberatur, quem
nonnulli loci Germaniae assumserunt, non extante de eo
in his Ducatibus statuto aut consuetudine speciali, vel con-
stitutione singulari, contra partiam potestatem in Jure
communi fundatam minime esse attendendum, sed pro
ea jus dicendum.

Constat inter Regalia Principum Imperii præci-
pua esse, quod possint pro Autoritate sua mores & con-
suetudines veteres mutare, abrogare, aut nullas dicere.
arg. l.3. §. 5. ff. de sepulchr. viol. ut & novas constitutiones &
legem universalem condere; quia quisque Princeps in suo
territorio ~~vopus~~ ^{territorii} habet: Etsi enim superiorem illi agno-
scant Cæsarem, quem venerantur & observant, tali tamen
quisque in sua provincia, instructi sunt potestate, ut
iussiones ipsorum revera sint & dicantur leges. De quo

non poterit dubitari, cum ipsa tota potestas territorialis cuius pars est legislatoria, tribuatur ab Imperatore. Quicquid enim sanciunt & edicunt, id edicunt, quia sunt Duces, Marchiones, Comites. At dignitates has, una cum territorio & territoriali potestate annexa, accipiunt in feudum a Cæsare. Et quamvis dependentem habeant legis ferendæ potestatem, Ea tamen vicissim tam libera est, ut constitutiones ab unoquoque in suo territorio latæ, nec confirmatione opus habeant, nec ab Imperatore rescindi possint, *dum tamen de iis rebus sint quæ per Recessus Imperii nondum sunt determinatae.* Quod enim his adversum quid statuere nequeant, id inde est, quia vel propria conventione, vel numero viæ parere coguntur. Tum enim quasi vi contraria, legitima tamen, in latitudine opposita succumbunt. *Jacob. Lampad. de Republ. Romano German. Part. 3. cap. 3. n. 18. Casp. Zieglerus. de juri bus. Majestatis. lib. 1. cap. V. n. 19.* Abrogatio vero universalis moris Saxonici in territoriis Serenissimorum Ducum Brunsvico-Lyneburgicorum, Recessibus Imperii non repugnat, refragari ergo voluntati Supremorum Principum nemini subditorum licuerit, etiamsi per duraq[ue] suam, parum æquam & Reipublicæ convenientem judicaret Ordinationem. *Vii post Cardinalem Palæotum & Thomam Hærtado in resolut. moral. tr. 3. cap. 4. resol. 29.* optime uotat JCTus laude sua major *Caspar. Zieglerus. de cap. num II.* Neque de legibus, quarum certa est sententia, disputari oportet: cum alioquin multa eaque certissima possent subverti *L & ideo 21. ff. de LL.* rueretque legum Autoritas, si in rationem earum nimis anxie inquirere liceret. *nt disputat. Plato. lib. 1. de Legibus.* credendum potius est, Legislatorem certa ratione ductum, ita constituisse, licet rationem, quæ eum moverit, expedire non possumus.

l.



l. non omnium 20. ff. de L. L. L. 9. ff. de religios.

Et quia ex Constitutionis Ducalis verbis universalibus tam aperta sit Serenissimorum LLtorum voluntas, ut de ea dubitari non possit ab ipsis Judicibus, servanda lex est, & secundum ipsam jus dicere tenentur, ne juris autoritas ponatur in potestate judicantis *contra l. ordine.*
 15. *in fin. ff. ad municip.* Quia vero Serenissimi Duces indefinite & universaliter, sine ulla restrictione vetuerunt, in Decisionibus Jus Saxonum attendere, cum in Ducatu Brunsvico-Lyneburg. illius nullum inveniret locum. Sequitur, quod omnis mos juri Saxonico proprius, (inter quos, ut suo loco dicetur, præcipue usus emancipandi liberos per matrimonium, numerandus est,) in hoc Ducatu sit abrogatus. Quia etiam secundum Jus Romano-Cæsareum, seu Justinianeum (nach des Heil-Römischen Reichs gemeinen Rechten) debet judicari, mos vero ille, quo per nuptias Patria potestas solvi debet, (*sive Saxonius dicatur, sive non,*) juri communi Romano-Cæsareo plane incognitus, imo contrarius est, concludendum, morem illum in judicando non esse attendendum, sed secundum Jus commune Romano-Cæsareum item decidendum.

At cui non dictus Hylas ? quis non videt in iis territoriis Germaniæ, in quibus simpliciter secundum Jus Romano Cæsareum lites debent decidi, consuetudinem huic juri refragantem ab allegante debere probari. Rationibus decidendi pro instituto nostro in antecessum basis ac fundamenti loco ita firmatis, ne sim prolixior, meæ, quam mihi elegi, viæ insistam porro, & arguenda contraria dissentientis enumerabo.

RATI-

RATIONES DUBITANDI.

I. Objectio præcipua est, in Germania vigere notorie consuetudinem Generalem, quod per matrimonium fiat liberatio a nexibus patriæ potestatis. Et quia talis Consuetudo alterat dispositionem juris communis *l. de quibus. cum ibi not. ff. de LL. l. I. & 2. cum not. C. que. sit longa consuetudo.* Ergo jus commune, quid de patria potestate statueret, obstante consuetudine universali, non esset attendendum. Licet enim Legum juris Justinianei non sit vilis autoritas, non tamen usque adeo vim suam extendunt, ut vincant consuetudinem Notoriam & Generalem *d. l. I. & 2. ff. de LL.* Sed ea obtinet vires juris communis, sive Cæfarei, ut Scriptum Justinianum per *Recess. Imperii de Anno 1654. §. 105.* ibi: benebent solleu Caminer-Richter/ Præsidenten und Beysitzer bey administration der heilsamen Justitz sowol die Statuta und Gewohnheiten/ als die Reichs-Abschiede und gemeine Rechten vor Augen haben und wol beobachten. Plane idem volunt Ordinationes Ducatus Brunsvico-Luneburgici, parte Wolfenbuttelensi Artic. 54. Ordin. Cancellar. & in Dicasterii Aulici Ordinatione tit. 3. 7. & 13. ut & in Ordin. Judicij Aulici Hannoverani tit. 3. & 13. similiter in eandem sententiam constitutum est in Cellensi, tertia Ducatus Brunsvico-Lyneburg. Aula. Ordin. Cancell. tit. I. §. 1. Hinc clarissimus Conringius in libro de Origine juris Germanici cap. 33. Jctum Hanium laudat, quod non dubitas in Observationibus ad Paratitla Wesenbecii lib. I. tit. 3. scribere: Illud notatu dignum, quod, ceu in aliis (scil. Romani Imperii) ita & in hisce Ducatibus illustr. Br. & Lyneburg, præ reliquis attendenda veniunt *Constitutiones Patriæ, Statutaque & Consuetudines approbatae,* quibus de-

fi-

ficientibus demum ad jus Cæfareum, seu commune, re-
curritur. Quamvis autem alias consuetudo sit probanda,
hoc tamen fallit in consuetudine generali, ea enim non
indiget probatione *juxta Bald. in l. si fugitiivi n. 3. C. de. serv. fugit.* Et sufficit illam allegare, quia est notoria omnibus,
nec habet contradictores. *Cardin. Tusclus lib. 2. conclus. 718.*
Ex his, (ait pars adversa,) arguere licet, quod, genera-
lis & notoria consuetudo Germaniæ, in qua hæc vel illa
Provincia aut Ducatus situs est, non possit non etiam ad
illam Provinciam vel Ducatum & ejus civitates referri.
Nam quæ connexa, colligata & unita sunt, finguntur
unum corpus esse, & unum connexorum censetur alteri
esse conforme. *Zasius conf. 28. part. 2.* Quodque in toto
disponitur, in qualibet etiam parte accessoria dispositum
censetur. *L. quod de tota ff. de rei vendic. l. si duo. in fin. ff. de usur. L. an pars ff. pro derelicto.* Et in specie quod ge-
neralis consuetudo, quæ in aliquo Imperio vel Regno
notorie observatur, etiam in quolibet particulari loco,
eidem unito obtineat, notat *Rochus de Curte in cap. fin de*
consuet. sect. 4. n. 16. Everhardus in loco, ab usitato, seu a solitis.
Unde ad probandam consuetudinem particulariem suffi-
cere ajunt, si allegetur consuetudo generalis illius Imperii
seu Regni, cum quo Provincia aliqua est unita, *per text.*
express. in c. super eo. de cognat. spiritual. Panormit. in c. finali
vers. nota quarto. de officio Archidiaconi VVesenbec. cons. 4.
n. 71. & conf. 12. n. 67. lib. I. Mynsing. Respons. 13. n. 1. Schurff.
conf. 66. n. 10. cent. I. Et quod universalis consuetudo ex-
tendatur etiam ad loca ejusdem Imperii, in quibus nun-
quam fuit observata, pulchre notat & exemplis illustrat *Cra-*
vetta de antiquitate temporum Part. 4. §. tranjeo. nunc ad
quartam partem. n. 54. & 57. Ex quo enim universalis
est, omnes ligat, eos etiam, qui utuntur jure civili, sive

B

com-

communi. *Oldrad. conf. 276.* Nam universali consuetudine Germaniæ demonstrata , perinde est, ac si in singulis Germaniæ provinciis vel Ducatibus consuetudo probata esset *Bartol. in l. 2. n. 41. C. quæst longa Consuetudo. Roman. conf. 123. n. 1. Riminald. conf. 26. n. 27 & conf. 68. n. 29. vol. I.* Quia accessorium accedit ad naturam sui Principalis. c. accessorium de R. J. in 6. ac contentum sui continentis leges imitatur. l. ad testium §. fin. ff. de testibus. L. quid si. 51. ff. de peric. & comm. rei vendic. L. aco. d. §. quod si ff. de acquir. rer. domin.

II. Sententia etiam , quod ex consuetudine generali per universam Germaniam mediante matrimonio liberi emancipentur, confirmari videtur, ex origine vocis Germanicæ **Freyen** / quæ liberari significat, eaque si adversatori credatur, indubie indigitatur, per nuptias liberationem fieri a patria potestate. Ita vocem **Freyen** intellexit JCtus Germaniæ clarissimus *Hermannus Vultejus in comment. ad Insti. tit. de Patria potestate §. 2. n. 3.* ubi, **Freyen** / ait, nobis dicuntur, qui matrimonium ineunt, quia a nexu, sive vinculo potestatis patriæ liberantur. Et excellentissimus moderni temporis *JCtus Feltmannus*, in tractatu suo accuratissimo *de jure in re & ad rem cap. 2. §. 22.* scribit, Germani dicunt, er hat gefreyet / de eo qui duxit uxorem. Ita etiam sensit *Musculus* in tract. de success. convent. class. I. membr. 5. n. 24. ubi docet : Germanorum **Freyer** & **Freyen** significat liberari & solvi cupere a patriæ potestatis nexibus. Idem statuit *Mollerus in parte 2. constitut. X. Freyen* / i. e. nubere, inquit, plenariam & irrevocabilem liberationem, sive solutionem a patriæ potestatis nexibus, quæ per Nuptias contingit, innuit.

III. Hanc liberationem testatam faciunt majorum genti-

gentium JCti, omnes Germani, Germaniæque Consuetudinum peritissimi, qui omnes secundum tradita adversæ partis causæ moderatoris unanimiter statuunt, Filiam post Nuptias Parentum consensu initas, in tota Germania per generalem morem e patria potestate discedere & in solius mariti potestatem transfire. In nomenclatura quam exhibuit Antagonista, Illustris quondam JCtus D. *Vl-daricus Zefius*, totius Germaniæ decus, primus est qui dictam consuetudinem generalem attestatur in *L. utrum turpem ff. de Verborum obligatione.* Commemorantur plures nobilis Doctrinæ Doctores, qui ad consuetudinem universam comprobandam sufficere posse visi sunt. Laudatur *Sichardus*, ad *L. 29. ff. de jure dot. n. 15. & 16. Vultejus*, ad §. fin. *Instit de Patria potest. Heringius*, de *Fidejus. cap. 7. n. 622. Besoldus*, *Conf. 151. p. 4. & lib. Polit. in cap. X. de tribus domestic. societ. §. 47. VVurmjerus*, lib. 2. obs. *pract. I. Treutlerus*, *disp. 2. th. ult. Hahniius*, ad *Wesenbec. tit. de Adopt. n. 7. Bocerus*, in *Class. P. I. disp. 13. th 22. Brunemannus*, *L. sex alio. 9. C. quod cum eo qui. Schneidewinus*, ad §. fin. *Instit. de Patria potest. Gilkenius*, de *prescript. p. 3. cap. 2. n. 30. Mevius*, ad *jus Lubec. lib. I. tit. 3. n. 24. Reusnerus*, lib. 1. *decis. X. n. 9. Franzkius*, ad *L. Gallus. disp. 1. memb. 3. Mollerus*, ad *Ordin. & Constat. Saxon. Part. 2. conclus. X. n. 4. Kitzelius*, in *synopsi. matrim. cap. VII. thes. 8. JCti Argentoratenses*, in *Colleg. Argent. tom. I. lib. I. tit. VII. §. 106 Gudelinus*, de *jure noviss. lib. I. cap. 13. Rauchbar*, lib. 2. qu. 18. n. 24. *Zobel*, ad *Land-Recht lib. I. Art. 31. Schurff*, *conf. 80. n. 3. cent. 1 conf. 20. n. 19. cent. 3. Baro Enenkel*, *in tract. de privileg. Parentum. & Liberor. Priv. 1. cap. X. Beckmannus*, in *Differit. de Legibus & Statutis cap. XI. ubi præter alios magna famæ Doctores testesque omni exceptione majores allegavit. Andream Gailium. lib.*

B 2

2. pract.

2. pract. obs. XXXI. n. 18. & Joach. Mynsingerum, cent. VI. sing. obs. XLI n. 13. item Godefredum de Jena, in comment. ad SCtum Macedon. sect. 3. aphorism. VI num. 4. Hunnius, in tract. variar. resolut. juris civilis lib. I. tract. 3. qu. 35. n. 5. Musculus, in tract. de succeſ. convent. clas. 1. membr. 3. num. 24. Sande, in decis. Fries. lib. VIII. def. 4. Berlich, part. 2. concl. II. n. 31. Rhetius, in comment. ad Instit. lib. I. tit. 12 Baltasar, Resolut. Pract. P. I. tit. 3. resol. 2. n. 4. Prückmannus, tom 1. conf. 1. n. 13. & conf. 34. n. 96. Colerus, decis. 222. Part. 2. n. 2. Idem de alimentis lib. 2. cap. 3. n. 7. Vesenbechius, in parat. ff. de his qui sui vel alieni juris. n. 3. & tit. de adopt. n. 3. Dauthius, in tractatu. de testamentis. n. 158 ampliat. 8. Referens in Votis Cameralibus apud Klockium. Relat. XIX. n. 55. Klockius, ipse, tom. 2. conf. LXV. n. 14. Denique Dominus Huldaricus Eybenius, quondam Antecessor Helmstadiensis celebratissimus, nunc Assessor Cameræ Imperialis gravissimus, diffusa eruditione judicioque haud postremus, ad lib. I. Instit. tit. XII. obs. 12.

Hi omnes, si Adversantem audiamus, uno ore unoque calamo affirmarunt, Filiam familias per matrimonium, vi consuetudinis generalis universæ Germaniæ, a Patria potestate liberari, inque solius Mariti potestatem venire. Celebribus autem Doctoribus de Consuetudine testantibus credendum esse docet Mynsingerus singul. obseruat. 69. cent. V. Alex. cons. 55. vol 4. tantique ponderis sunt Assertiones celebrium Doctorum, ut inducant præsumptionem fortissimam, quæ transfert in partem adversam onus probandi, secundum doctrinam Bartoli in l. de quibus ff. de LL. & Deciani conf. 539. & conf. 644. Quia ex concordi Doctorum testimonio consuetudo habetur pro notoria; In notoriis autem non requiritur ulterior probatio, nec

co-



(2) 13 (2)

cognitio, L. si is a quo pr. ff. ut in poss. legat. vel. fidei commiss.

IV. Ut autem dicta consuetudo eo magis corroboretur, nonnulli eam juris gentium naturam induisse perhibent; apud omnes enim moratores notiones & populos, ratione suadente, communis assensione introductum esset, ut per matrimonium jus Patriæ potestatis in filiafamilias dissolvatur, & velut in manus Mariti resigetur. Eam de *Gallia* attestatur. *Andreas Tiraquellus*, *de Legibus connubialibus ad L. I. gloss. l. n. 4. & 6. de Britannia Nicol. Boer. decis. 197. n. 3. de Burgundia Bartol. Cassan. in Consuetud. Burgund. rubr. 4. §. 1. in princ. de Hispania Vasquijs. de success. §. n. 34. & 43. de Lusitania Ludovicus Molina de J. & J. tract. 2. disp. 229. n. 16. de Italia Anton. Herring. de fidejus. cap. 7. n. 621. de Longobardia Ascun. Clementinus, de patria potest. cap. 5. de n. 76. de Belgio Petri Peck. detrestam. conjug. lib. 2. tit. 12 n. 5. civitate Neapolitana Petr. Gilken. de prescr. P. 3. cap. 3. n. 35. Quam consuetudinem, juri & æquitati conformem Germani quoque receperissent. Quod igitur tot gentium moribus approbatum esset, non facile redargui deberet, in primis quando commoda fulciretur ratione *Arnoldus in doctrina Polit. cap. IX. p. 216.* Ac proinde si apud vicinas gentes idem aut simile jus consuetudinarium obtineat, convenientius esse arbitrantur quidam, ex moribus illarum casus dubios dirimere, quam jure Romano scripto. *Christinus vol. 2. decis. 28. n. 13. Cravetta de antiquit. temp. part. 4. pr. n. 49* Quia juris naturalis videretur esse id, quod apud moratores gentes dictante naturali ratione, quæ ipsa lex naturæ est, tale esse creditur. Imo Aristoteles jus naturæ non semel a posteriore designasset, de quo non aliter Persæ, aliter Græci &c. sentirent. Et rediretur communiter ab exemplo & consuetudine gentium ad jus naturæ.*

V. Nec negari posset conjugium, ut societatem maxime naturalem, esse juris naturæ. Natura enim omnibus animalibus desiderium hujus societatis acre inservisset. *Aristot. cap. 3. lib. 1. Oeconom.* Quia vero in societate inita jus naturæ dictaret, ut dignior imperaret. *Arist. cap. 3. lib. 1. Oeconom.* Natura autem mulieres ad omnia fecisset imbecilliores, quo suæ subjectionis admonerentur; Hinc sequeretur, quod ex principiis evidentiibus juris naturalis, Marito Dominium aristocraticum in uxorem competeteret: Videlicet ex jure societatis conjugalibus. *Aristot. lib. 8. Ethic. cap. X. & XI. & lib. 1. polit. cap. 4. & ult.* Inde *Bodinus*, legibus naturæ repugnare, dicit, ut uxor non sit in potestate mariti, sed patris. *Bodinus de Republ. lib. 1. cap. 3. Job. Faber in Syntagm. juris civilis tit. XII. §. 7.* Et qui, jura naturæ Divina providentia sunt constituta, ideo semper firma & immutabilia permanent, quamdiu natura durabit. *Laetanius lib. 6. cap. 8.* Igitur concludunt, juri naturali, (secundum quod Vxor domino & potestati mariti subjecta est,) per jus civile non posse derogari.

VI. Imo ex quorundam opinione, præcepto Dei contrarium foret, si mulier non deberet esse sub solius mariti potestate, sed manere sub Dominio patris. Quia jus Divinum dicit, relinquet homo Patrem & Matrem *Gen. 1. v. 17.* in statu primævo, mulier marito, ut capitii subjecta erat. Post lapsum maledictio mariti dominacioni subdidit uxorem, ubi Deus mulieri dixit: Vir tuus prævalebit & dominabitur tibi *Gen. 3. v. 16.*

Apparet igitur (prout opinatur Actoris causæ Patronus,) Consuetudinem, de qua agimus, ut uxor, excluso Parente, sit in potestate mariti, non solum in jure ab ipsius Dei providentia immediate constituto, esse fundatam,

tam, sed etiam per præceptum expresse manifestatum munitam. Huic præcepto Divino se conformasset prudenterissima fœmina *Sara*, quæ debita reverentia sua erga maritum suum, Abrahamum non alio nisi *Domini* nomine nominasset, dum dixisset: *Nun ich alt bin / soll ich noch Wollust pflegen/ und mein Herr auch alt ist.* Gen. 18. v. 12. Quod Apostolus *Petrus* in ipsa laudasset cunctisque mulieribus in exemplum commendasset. Epist. 1. Petri. cap. 3. v. 6. Et Divus *Paulus* Epist. 1. ad Corinth. cap. 14. v. 34. Mulieres subditas esse debere maritis, jubet. idem Epist. 1. ad Timotheum 2. v. 12. & Epist. ad Ephesos cap. 5. v. 22. & 23. Scribit: Mulieres Viris suis subditæ sint, sicut Domino, quia vir caput est mulieris. Hinc pie & Christiane Aristotelem 2. Oeconom. 1. scripsisse dicit *Christophorus Besoldus*: Existimare debet mulier bene instituta, legem esse sibi, ingenium & mores Viri sui; latam a Deo eo tempore, quo Nuptiæ junctæ sunt, & Vitæ societas contracta. Vxor quippe, quæ propter Virum facta est, ut testatur Theages Pythagoricus apud Stobæum, Virum quoque suum, pro Domino & norma vitæ suæ habere debet. *Besoldus* in Polit. lib. 1. cap. 10. de tribus domesticis Societ. §. 3. n. 25. pergit, quod etiam jure civili uxores, maritos suos *Dominos* appellassent. Sic Matrona moderatissima, testante Paulo JCto, maritum in literis *Dominum* carissimum vocasset. L. 57. ff. de donat. inter virum & uxorem. Et alia apud Scaevolam in ordinatione ultimæ suæ voluntatis, filios suos allocuta fuisset: Filii dulcissimi, præcipitote omne, quod ex hereditate bonisve Titii, *Domini mei, Patris vestri*, ad me pervenit, mortis ejus tempore. L. 88. §. 2 ff. Legat. 2.

VII. Ex Dominio ergo mariti in uxorem sequetur, quod patria potestas per nuptias dissolveretur.

Quia

Quia duo in solidum unam eandemque rem possidere non possent. *arg. l. 5. §. ult ff. commodat. L. quode contra 141.*
§. uni duo. ff. de R. J. Schneidewin ad §. Institut. quibus modis Jus patr. potest. solv. n. 9. & 10. Quisquis enim rem haberet, sive naturaliter, sive civiliter, aut non possideret, aut solus possideret. *Donel. ad tit. C. uti. possidetis n. 7. Borchold. tr. Feud. cap. 9. n. 26.* Et per eos *Treulerus 2. disp. 21. tb. 4. in fin.* Vbi leges huic opinioni contrarias redolere Sabini-anam Hæresin, dicit, quam *Vlpianus* non probasset, *Labeo* vero reprehendisset, Paulus a vero alienam judicasset. Nec fieri posse, ut de eadem re vere enuncientur, propositiones affirmatae & negatae, inter se contradictorie oppositæ. *Aristot. lib. I. Analit. in fin.* Nec una eademque res diverso jure censeri posset. *L. I. vers. nec ratio patitur. ff. de rei permitt. L. jam hoc jure ff. de vulg. & pupill. substit. L. Titia ff. de condit. & demonstr.* Quia res eadem contrarios effectus operari non potest. Contraria autem viderentur, esse in potestate Mariti, & esse in potestate Patris. Conturbaretur omnino jus Conjugale, quando mulier cogeretur duorum iussa sequi, Mariti, & Patris. Id quod non obscure vidisset *Vlpianus*, unde ejus effatum, bene concordantia matrimonia jure patri potestatis turbanda non esse. *L. I. §. ult. ff. de hb. exhib. Boedlinus de Republ. I. cap 3.*

VIII. Ex his pateret, dictam totius Germaniæ consuetudinem generalem, ubique usu introductam juri que Communi derogantem, satis rationabilem, Justitiæ, æquitati & pietati maxime consentaneam, & ob id ad usum civitatis aptatam ac civitate donatam esse; obligaret igitur etiam illos qui jure communi uterentur, imo pro jure communi esset habenda, etiam in iis Germaniæ provinciis & locis, ubi non jus Saxonicum, sed commu-ne,

ne, sive civile in terminandis causis observaretur. Quocunque enim jure aliquis populus uteretur, id esset jus civile, §. *Instit. de jure. N. G. & Civil.* Quia jus civile non id tantum dicendum esset, quod corpori Juris Justinianei insertum inveniretur, sed omne illud fieri jure civili, quod universaliter quædam hominum congregata multitudo, vel major pars populi tacito consensu, utilitatis publicæ causa ficeret. *Obrecht de principiis juris tractat. cap. XI.* *Cujacius in not. Instit. de J. N. G. & C.* Et ita perspicuum esset, consuetudinem per matrimonium solvendi patriam potestatem, juri communi non contrariam, sed potius eidem consentaneam esse, in iisque locis ubi jus commune vigeret, ut jus commune scriptum deberet servari, & secundum eam judicari.

IX. Additur, quod ex Vicinitate validum præstetur argumentum. Nunc Brunsvicensium & Lyneburgensium Ducatus haberent ab ortu *Marchiam Brandenburgiam*, Ducatum *Magdeburgensem*, & Principatum *Halberstadiensem*; a Meridie comitatum *Mansfeldensem*. Ab occasu partem comitatus *Oldenburgici*, *Bremensem* & *Verdensem* principatus. A Septentrionibus *Holsatiam*, & *Saxonię Lyneburgicam*. In his terris autem mos vigeret, quo filiae per nuptias a patria potestate liberentur. Inde concluderetur, quod idem mos in Ducatu Brunsvicensi & Lyneburgensi sit servandus. Quo enim jure circumvicini & attingentes loci sunt, eo jure locus esse præsumitur, qui attingitur. *Gloss. est notabilis in c. s. opitæ. c. super eo. de censibus. Zafius Parte. 2. cons. XVI. n. 26.*

X. Tandem non nemo putavit otiosam esse quæstionem, an Pater per nuptias filiae familias Patriam potestatem amittat? quia privatio præsupponeret habitum. Hodie autem jus patriæ potestatis ex jure Romano peti-

C
tura

tum apud nos Germanos, umbram saltim haberet. *D. de Jena. in tract. ad SC. Maced. sect. I. apb. II. n. 12.* Imo nequidem eam supereffe, magnæ fidei JCti statuerunt. *Bachovius ad VVesembec. parat. ff. de Stat. hom. n. 4. Frazkius exercit. Instit. 2. qu. n. 7.* Ideoque cessante causa, cessare etiam deberet ejus effectus c. 60. *X. de appell. Decian. 4. resp. 22. n. 83.*

Haetenus Recensui argumenta potiora quibus generali consuetudinem emancipandi filiarum familias per nuptias in universa Germania fieri, ex omnibus propemodum conquisitis angulis afferentes utuntur, quæ prima quantumvis fronte verissima videantur, contraria tamen & negativa opinio, si quis omni remoto per istromate rem ipsam proprius intueri velit, longe verior dicenda erit.

REFUTATIO RATIONVM DVBITANDI.

Expositis & in apricum productis adhuc argumentis contrariis, quæ quanta decuit sive atque industria ex Contradicitoris scripto collegi, jam restabit ut ad singula Responfiones ea perspicuitate adaptem, ut a cuius partibus stet veritas neminem latere possit. Palmaria ejus objectio est, consuetudinem generaliter receptam derogare juri scripto Romano in universa Germania. At per universam Germaniam introducta esset generalis Consuetudo quod Filia familias, Nuptiis celebratis, a Patria potestate liberetur. Ergo talis consuetudo per universam Germaniam derogaret juri scripto Romano. Et per consequens etiam in Ducatu Brunsvico-Luneburgico, non obstante jure Scripto Romano, liberatio a Patria potestate fieret per Nuptias. Non nego majorem, quod Jus scriptum Justinianeum a Consuetudine generali vincatur,

tur, hæc verissima est propositio. Minorem simpliciter nego, in tota nimirum Germania generalem illam consuetudinem, quam dicit, vigere. Et quia afferenti incumbit probatio, eam ante omnia sufficienter deberet docere. Ille vero onus probandi subterfugiens generalitatem Consuetudinis probationi minime subiectam esse dicit, nam sufficeret Notorium allegare. Et quia constaret de generali consuetudine Germaniæ, in qua hæc vel illa Provincia aut Ducatus situs esset, non posset non etiam ad illam Provinciam vel Ducatum & ejus civitates referri. Quia quod in toto dispositum, in qualibet etiam parte eidem unita dispositum censeretur. Respondeo; hoc obtinere, quando unus locus unitur alteri per modum accessori: Secus si ille locus est æque principalis: nam tunc locus æque principaliter unitus, non subjicitur consuetudini, neque legibus loci, cui unitur. *Cravetta de antiquitate temporum Part. 4. cap. I. n. 55.* Pars quidem Imperii territoriorum Ducis Imperii dici fortassis potest, loco distinctum, ad hoc tamen, ut peculiari regimine civili Reipublicæ Imperii communi subjuncto administretur. Et quamvis Imperio subsint Ducatus Germaniæ, nihilo minus instar Reipublicæ peculiaris se habent, suis legibus compositæ. Ita Principes nostri cives quidem Imperii censentur in negotiis Rem illius publicam spectantibus: In ditionibus autem suis pene Reges & autocratores videntur. Et Legumlatio, quæ ad Superioritatem territorialem, summæ Majestatis æmulam, pertinet, inter Imperii Rempublicam & territoriorum administracionem est divisa, singulisque pene locis variat. Cum vero constet Serenissimos Duces Brunsuico-Lyneburgicos, ut immediati Imperii Principes, Superioritate territoriali gaudere, potestatemque regiæ detinere in territoriis suis,

non quatenus ad Imperium referuntur, sed in se spectatis, jus privatum legibus constituendi habere; igitur non potest dici, quod Ducatus Brunsvico-Lyneburgicus ratione juris consuetudinarii aliorum locorum, habendus sit pro unito. De Statu Regionum Germaniae & Regimine Principum Summae Imperii Reipublicae aemulo legi meretur nobilis commentarius *Dn. Ludolphi Hagoni, cap. 3. n. 18.* Et quod dicitur universalem consuetudinem etiam extendi ad loca ejusdem Imperii, ubi nunquam fuit observata. Id intelligendum de loco Imperii, jure speciali carente, & capiendum de consuetudine universalis territorii Regimini unius absolute, sine ulla limitatione subjecti; illa extenditur etiam ad loca ejusdem territorii: in quibus nunquam fuit observata. Et haec mens est allegati *Aymi Cravette de antiquit. temp. d. Parte 4. cap. d. n. 57.* Cæterum si agatur de consuetudine, eaque negetur, & non constet ex Actis aut attestatione testium ocularium, debet probari. Cum id de jure notorium vere dicatur quod ex Actis & probatione testium resulat *cap. cum olim X. de V. S. cap. olim significavit. & cap. significavit X. de testibus. L. ult. C. de probat. Jacob. Menoch. de Recup. possess. Remed. 15. n. 265. Cravette conf. 121. n. 2. & 3.* Quamvis autem ex adverso prætendatur, Consuetudinem prætensam esse notoriā, hoc ipsum tamen negatur, & Notorii quidem allegatio sufficit, sed ut sufficiat allegatio, necesse est, id ipsum esse Notorium, et consuetudo, tametsi prætendatur esse notoria, tamen, si negetur, est probanda. *VVefenbec. conf. 1. n. 54. conf. Marpurg. vol. 4. conf. 45. n. 221. seqq.* Nam quod non est ex jure scripto communi, sed vel ex Saxonica sanctione, vel ex consuetudine, quæ tamen non ubique, præfertim in illis Provinciis ubi ex sanctione publica secundum Jus Romano Caesareum

reum judicari debet, vires habere potest, sed ibi
 ubi lata aut recepta est; *arg. l. fin. ff. de jurisd. omnium
 Judicum*, necesse est, ut aut Receptio Saxonicae Sanctio-
 nis vel consuetudo loci probetur, quia facti est, & facto
 consistit. *c. 1. vers. cum sint facti, de consuet. in 6. gloss. in
 l. 1. C. quæ sit longa consuet.* Bart. in *l. 2. C. si contra jus vel
 util. publ. Zaf. n. 3. ad l. de quibus ff. de LL. Rol. a Valle conf.
 71. n. 20. vol. I Fulv. Pacian. 1. de probat. cap. 66. n. 59. inter-
 minis Geddaeus in conf. Marpurg. vol. IV. conf. 42. n. 102.* Pro-
 prie stricteque sumendo notorium illud est, quod est noto-
 rium facti. *Anton. de Butrio in tract. de notorio artic. 2.
 n. 31.* Multa autem dicuntur notoria, quæ non sunt. *Jul.
 Clarus qu. 9. n. 5. circa fin.* Aliud est dici notorium, aliud
 vere esse; ideo consuetudo, quam quis notoriā dicit,
 debet probari quod sit notoria, quia consuetudo tam uni-
 versalis quam specialis est facti, & notoria consuetudo di-
 citur ex evidētia facti quod tergiversari non possit. *Car-
 din. Tuscb. tom. 5. concl. 107. n. 10.* Prius ergo debet consta-
 re factum, antequam constet notorium *Egid. Bellam. conf.
 40. n. 37.* Haec tenus prætensa consuetudo generalis totius
 Germaniæ a nemine fuit probata. Aliud esset, si consta-
 ret de pronunciato Imperiali, seu re judicata, quod esset
 universalis. *Dec. conf. 483. n. 27.* tunc probatio non requi-
 reretur, *Anton. de Butrio in cap. vestra de cohabit. cler. &
 mul. n. 38.* Et non potest dici notoria consuetudo, nisi vel
 per testes sufficienter fuerit probata vel per Judicem ex
 actis judicialibus informatum, fuerit declarata, quod sit
 notoria. *Jul. Clar. in praxi crim. qu. 9. n. 8. Petr. Ravenn.
 in enarrat. tit. de consuet. n. 63.* aut si tot actus manifeste
 ante oculos sint, qui negari non possint. Nam quando
 dicitur quod notoria consuetudo non opus habeat pro-
 batione, id intelligendum de ea quæ per diuturnos & u-

niformes Actus in notitiam venit universi populi, in eam consentientis. Et ejusmodi consuetudo notoria quamvis relevet ab onere probandi, non tamen liberat ab onere allegandi. i. e. actus speciales omnibus notorios propnendi. Non enim sufficit dicere generalis consuetudo in hac vel illa re est: sed propositionis veritas debet ostensive demonstrari, quia nemo obligatus est, alicujus nudis assertis tanquam oraculis assurgere, nisi sua luce radient, ut ambigua reddere nemo possit. In præsenti casu Antagonistæ principium suum non largimur, quo se in generali aliqua totius Germaniæ consuetudine fundare nititur. Fallitur, & causam rei proximam demonstrare nequit. Nam talis consuetudo generalis totius Germaniæ qualem comminiscitur quoad emancipationem filiarum per Nuptias, non potest ostendi. Interim stat firmo talo, quod ille qui super consuetudine intentionem suam vult fundare, non in nudis assertis debeat acquiescere, quia Facta non præsumuntur, nisi probentur. L. i. C. de probat.

Deficiente ergo generalis Consuetudinis, cuius mentionem fecit, Notorietate, quicquid huic fundamento superstructum fuit, corruit. Quia vitiosa fit illatio ex antecedente erroneo & falso, ideoque negato. Cum etiam non appareat consuetudo generalis in tota Germania recepta, irrite ad Recessum Imperii de A. 1654. f. 105. provocatur, in quo sancitum; benebent sollem Cammer-Richter / Præsidenten und Beysitzer / bey Administration der heilsamen Justiz, so wol die Statuta und Gewohnheiten / als die Reichs-Abschiede und gemeine Rechte vor Augen haben und wol beobachten. Vane quoque allegantur Ordinationes Ducatus Brunsuico-Lyneburgici, in quibus Sancitum est, quod Constitutiones Patriæ, Statutaque & Consuetudines approbatæ attendi debeant, iisque deficientibus demum

mum ad jus Cæsareum, seu commune recurrentum sit
 Et dictus Recessus Imperii non loquitur de consuetudine
 aliqua generali in toto Imperio Romano-Germanico re-
 cepta (quæ quidem non extat, nec ostendi potest) sed de
consuetudine locali in Provinciis Imperii peculiariter recepta.
 Quod patet ex dicto §. 105. ex verbis, und sollen sich (Camer-Richter / Præsidenten und Beysitzer) in den Schranken der Cammer-Gerichts-Ordnung halten. Quid autem
 statuit Ordinatio Cameralis? ibi, Part. I. tit. XIII. §. 1. legun-
 tur hæc verba: Es soll nach Ehrbaren Ländigen Ordnun-
 gen / Statuten und redlichen ehrbaren Gewohnheiten NB.
Der Fürstenthümen / Herrschafften und Gericht die
für sie gebrachte werden / Urtheil gefasst und gespro-
chen werden. Ad quæ verba D. Jacobus Bluhm: huc perti-
nent consuetudines cuiuslibet loci per d. verba : Red-
liche / Ehrbare Gewohnheiten / der Fürstenthüm / Herr-
schafften und Gerichte / si allegentur, per verba, die für
sie bracht werden. Hæc consuetudines provinciales seu lo-
ccales non minus ac Recessus Imperii & jus commune in
decisionibus causarum debent attendi atque id facturos esse
Assessores in ingressu sui officij jurare tenentur daß sie rich-
ten wollen nach Ländischen Statuten und Gewohnheiten /
die für sie bracht werden. O. C.P.I. tit. 57. item Parte 2. tit. 31.
n. 12. cum 2. seqq. Jacob Blum in process. Camer. tit. 2. n. 16.
ad eundem titulum dicit Schwannmann in differentis juris
civilis & Cameræ diff. XVI. n. 4. iura secundum statuta & con-
suetudines locorum judicare præcipiunt. c. cum venissent 3.
X. de eo qui mitti in posse. Et VVehnerus in Observat. pract. ver-
bo. Gewohnheit / De Assessoribus Cameræ idem docet eos
secundum cuiusque Regionis, Ducatus, Comitatus, Civitatis aut loci singulares consuetudines judicare teneri. Quia
consuetudines & statuta locorum pro jure communi ha-
bentur, in

iis locis ubi vigent *Gail. lib. i. obs. 36. n. 12.* & *lib. 2. obs. 31. n. 2.* Atque ita verba Recessus Imperii salva ratione recti sermonis restringenda ad casum de quo agitur, & secundum materiam subiectam *Alex. ab Imola conf. 95.* Nec accipienda sunt de consuetudine aliqua uniuersali, non probata, sed de speciali & locali, utpote de qua materia textus ibi loquitur, & diligenter considerandum, quo fine, quo proposito, super quibus rebus aut negotiis verba sint prolata. *Zafus in singul. cap. 6. n. ultimo.* Argumentum quoque a consuetudine in Imperio Romano-Germanico (in aliquibus locis, præsertim ubi jus Saxonum viget) recepta petitum, fragilissimum est ad probandum, consuetudinem talem etiam in *Ducatu Brunsfico-Lyneburgico* vigere. Probari deberet Ducatum hunc unam eandemque causam habere cum illis locis. Et quod ex hac sola causa quod in Imperio Romano-Germanico Ducatus iste, sicut illa loca ubi mos approbatus est, situs esset, sit sub consuetudine illorum locorum comprehensus, & cum iis affectionem habeat communem & obligantem. Si ideo hic Ducatus subjiceretur consuetudini generali quia est in Imperio situs, certe situs esset causa Consuetudinis: Ast istud absurdum, quia multi Ducatus siti sunt in Imperio, & tamen singularia habent jura. Etenim Principes Duces Comites, Marchiones in Germania (si dextre intelligatur,) regalem dignitatem perpetuo obtinent in suis Principatibus, Ducatis, Comitatibus, Marchionatibus, iisdem juribus, præminentibus atque Dignitatibus fruuntur quibus Imperator utitur in Imperio. *Dauth. in tr. de testam n. 36. Schrader. in tr. feut. P. 2. sect. 10. n. 16.* Et sic ad legis condendæ, in ditionibus suis quod attinet potestatem, pari jure cum ipso Imperatore fruuntur. *Dauth. d. tract. de testam. n. 86. Dec. conf. 516. n. 3.*

n. 3. & 4. Mylerus ab Ehrenbach in *Nomologia Ordinum Imperial.* cap. 1. n. VI. Imo inter Regalia Statuum Imperii præcipua videntur esse illa jura realia territoriis connecta, quorum Imperii membra, in territoriis a se possessis, potestatem summam proximam exercent, quod possint statuta condere, secundum quæ in ipsorum territoriis vivere & judicari debent subditi, magistratus item atque judicia constitui: eaque Statuta ejus vigoris esse reputantur, ut Assessores Cameræ Imperialis, quod supra dictum fuit, secundum ea, in causis per Appellationem ad illos devolutis, præcipue judicare teneantur. *Carpzovius ad Legem Regiam* cap. 9. sect. 1. Quamvis igitur in Imperio Romano Germanico inveniantur loci, in quibus mos Juri Saxonico conformis emancipandi filias per multas approbetur: Exinde tamen non apparent Consuetudo generalis, sed est specialis, nec extendi potest, si in hoc vel illo Ducatu extet diversa Ordinatio, cuius normam Judices in judicando sequi obstringuntur. *Abbas Paracelsus in c. cum Eccles. n. 6. de Elect. Oldrad. cons. 237.*
n. 3. Anton. Butr. in c. dilecto n. 4. vers. quedam sunt jura contraria. X. de Officio. Archidiac. Castrens. cons. 164. n. 1. part. 2. Carol. Ruin. cons. 34. n. 18. in fin. vol. 4. Cravetta de antiquit. temp. Part. 4. cap. 1. n. 52. Joann. Fichard. cons. 12. n. 10. Tiber. Decian. Resp. 19. n. 77. vol. 3. Cum vero in Ducatu Brunsvico-Lyneburgico parte Wolfenbutelensi sit, V. Ordinationis Dicasterici Aulici expresse mandatum, quæ jura in decidendis causis sint observanda, sequentibus verbis: Unsere Vice-Hoffrichter und Assessores sollen die fürkommende Sachen richten/ nicht nach Sachsen-Recht/ als welches in unserm Fürstenthum/ Graff-Her- schaften und Landen nicht statt hat/ sondern nach des Heyl. Römischen Reichs gemeinen Rechten/

D

con-

constitutionen und Abschieden / ingleichen nach denen in unserm Fürstenthum Graff-Herrschafften und Landen verhandenen oder noch in künftig publicirenden Landtags-Abschieden constitutionen / Ordnungen / Statuten / Gewohnheiten und Herkommen / dergestalt / daß sie in denen Sachen / so in gemeldeten Landtags-Abschieden / constitutionen und Ordnungen albereits determinirer oder noch künftig determinirt werden möchten / denen Partheyen keine unnötige disputationes zu geben / sondern gemelte Verordnungen der Schuldigkeit nach / in gebührliche Obacht nehmen / und darnach die vorfallende questiones, auch ohne anregen und allegiren des einen oder andern thils von sich selbsten der Gebühr allemahl entscheiden und erörtern sollen / so viel aber / die jedesmahl allegirte NB. und von uns confirmirte local oder special Statuten / hergebrachte gute Gewohnheiten und Herkommen betrifft / wie auch wenn aus andern Thür-Fürstenthum und Landen vorbesagter massen per modum prorogationis, Sachen an unser Hoffgericht erwachsen solten / sollen sie so weit darnach zu richten schuldig seyn / Wann und so viel deren die litigirende Partheyen allegiren und NB. Behaupten werden. Sequitur, consuetudine non approbata, imo ab ipsis Serenissimis Ducibus non confirmata, secundum Jus Commune Romanum Cæsareum seu civile esse pronunciandum. Nunc autem talis consuetudo liberandi filiam-familias a patria potestate per nuptias in Ducatu Brunsuico Lyneburgico Wolferbyensis partis, non potest probari, patet ergo (non nobis hic adversatur JCtus Hahnii a celeberrimo Conringio laudatus, nec Conringius ipse.) ad ius commune Cæsareum esse recurrendum. Nec sufficit, dicere, consuetudinem esse generalem, quæ in toto Romano Impe-

perio, omnes ligaret: Nam superius demonstratum fuit
in Romano Imperio non ubivis locorum idem jus esse.
Quia nulla fere civitas, nullus districtus & nulla Provin-
cia in Germania reperitur, quæ non suis peculiaribus
Statutis & Ordinationibus utatur, normamque judicandi
singularem, moribus Saxonice vel conformem, vel con-
trariam, vel præter eos plane aliquid novi habeat. Igi-
tur Consuetudo debet probari, Specialiter in loco, ubi
agitur. *Oldrad. conf. 237. Ancharan. conf. 339. Cravetta conf.*
96. n. 4. Et consuetudo, quæ litis decisionem respicit
firmiter probanda est. *Paris. conf. 25. n. 36. Part. 4.* Ideo
probatio dubia, quæ non concludenter, sed contingenter
tantum probat, non relevat *Wesenbec. conf. 38. n. 30 lib. 1.*
Præterea Ordinatio Ducalis non tantum Allegationem sed
& probationem exigit in verbis: *Sie sollen so weit dar-
nach zu richten schuldig seyn/ wann und so viel deren die
litigirende Partheyen allegiren und behaupten werden.*
Probationes vero per indicia, conjecturas & præsum-
ptiones non fiunt, ubi Lex vel Ordinatio requirit plenam
probationem. *Socinus conf. 194. n. 7. & n. 9. lib. 2. Meichs-
nerus in decis. cameral. tom. 3. decis 14. n. 49.* Quæ pro-
batio demonstret, (1) quod consuetudo in universi
populi seu universitatis notitiam venerit, tacitoque ejus
consensu sit approbata; Non enim hujus aut illius ho-
minis mos inspici debet, sed universi populi; cum con-
suetudo universum populum ex tacito ejus consensu de-
beat obstringere *L. de quibus ff. de LL.* (2) Non sufficit
semel aut bis quid factum fuisse, sed frequenter, circa
eandem rem & controversiam *l. i. C. quæ sit longa Consue-
tudo.* (3) Ut observata sit perpetuo similiter, & unifor-
miter *l. ult. C. eod. l. nam Imperator 38, ff. de LL.* (4) Ut
usus diuturnus in illo territorio aut loco fuerit. *Quam*
diu-

diuturnitatem diversimode æstimarunt Interpretes. Frequentius tamen obtinuit, ad consuetudinem, quæ præter vel contra legem est, decem annos sufficere. *Jaſon in d. l. de quibus n. 47. ff. de LL. Mynſing ſing. obſ. cent. VI. obſ. 41. n. 9.* (5) Item testes ad probandam consuetudinem dicant, talem actum qui foveat consuetudinem, factum esse in vim consuetudinis talibus & talibus præsentibus, item quod iidem fint major pars populi. ita *Alberic. Roſa docet in l. 2. C. quæ sit longa conſuetudo.* (6) Non sufficit ad probandam consuetudinem, quod testes dicant, ita esse consuetudinem: ſic enim testimonium dicerent de jure, non de facto, testis autem factum deponere debet, non jus. i. e. de facto teſtificari, in quo conſiftat conſuetudo, non de ipſa conſuetudine, quæ eſt jus non scriptum *Bartol. in d. l. de quibus ff. de LL.* (7) Plerique cenſent ad validitatem conſuetudinis requiri etiam, ut ſit obtenta in contradictorio Judicio. *gloſſ. in l. cum de conſuet. ff. de LL.* Et hæc probatio in præſenti controverſia neceſſario requiritur. Eſſi enim alias conſuetudo actibus etiam extrajudicialibus probetur, nec ad probationem judicatis opus fit. Tamen id ad extrajudicales conſuetudines tantum pertinet; Vbi vero de ea agitur, quæ judicium concernit, qualis eſt, ex qua filia instituta acione in judicio, pro emancipata per ſententiam eſt declaranda, neceſſe eſt per pronunciata in contradictorio judicio obtenta, eam probari. *Mascardus de probat. conclus. 427. n. 4. Græven pract. conclus. 31. n. 24. lib. 2. Menoch. conf. 187. n. fin.* Deinde etiam tunc, quando agitur de conſuetudine, quæ non modo præter legem, fed contra legem eſt, ideoque juri communi, quod in hoc Ducatu vi Ordinationis, provincialis, receptum, derogat, omnino neceſſe eſt judiciales actus, ſeu Decreta intervenire, ex quibus pro-

probetur contra juris communis dispositionem, jus singularare & exorbitans introductum esse. Vti ex Oldendorp. & aliis allegatis declarant Cobmannus conf. 84. n. 67. vol. 2. Græven d. conclus. 31. n. 26. Surdus conf. 393. n. 25. Oldendorp. conf. Marpurg. I. n. 13. & 14. Nec sufficit probatio consuetudinis, sed & Ipsorum Serenissimorum Ducum Confirmatio requiritur, quod patet ex verbis: So viel aber die jedesmal allegirte und von uns confirmirte local oder special Statuten/ hergebrachte gute Gewohnheiten und Herkommen betrifft/ &c. Ratio est, quia populus qui non habet Jurisdictionem absolute, consuetudinem non potest inducere absque scientia & confirmatione Superioris. c. illud. 83. distinct. Zas. ad l. de quibus ff. de LL. Cavalcanus decis. II. n. 49. vol. 1. Natta. conf. 574. n. 32. vol. 3. Ferret. conf. 249. Et Magistratus, cum ei non radicalis, sed insititia quædam Jurisdictionis, non proprietario, sed usutactuario potius jure competit, sine confirmatione immediate Supremi Principis, cuius beneficio jurisdictionem accepérunt, vel sine ejus licentia, non possunt consuetudinem, per Sententias introducere, quod præsertim obtinet quando illa consuetudo Ordinationi Principis esset contraria. Bocerus de Regalibus 3. n. 62. Curtius ad l. 32. & 35. ff. de LL. Aut quando Princeps sibi expresse confirmationem consuetudinis reservavit.

Confirmatur autem Consuetudo vel expresse, vel tacite; hoc sit quando in Principis Consistorio in simili causa semel atque iterum secundum eam solenniter fuit judicatum. Oldendorpius conf. Marpurg. I. vol. 4. n. 4. & 14. Quia ex sententiis conformibus in simili casu colligitur consensus Principis. Mairer. tr. de Autorit. Princip. sect. 5. n. 2. At consuetudo illa, de qua tractamus,

in hoc Ducatu neque probata, multo minus a Serenissimis Ducibus confirmata aut approbata est. Imo, ut ex literis ad me perscriptis video, ne unica quidem observatio extrajudicialis adhuc a parte adversa allegari potuit. Sed demus, si probasset, quod multi fatui, cum essent Patres, nihilo tamen minus, jus Patriæ potestatis neglexerint, sibique in eo præjudicari passi sint. Quid hoc esset aliud, quam ostendere factum quoddam & historiam nudam? Potuissent illi quoque Genero & filiæ ad nutum ac sibilum se abjecte obsequentes præstare, domum & agros cedere & donare, quod tamen aliis Patribus non potest obesse, juxta regulam, res inter alios aeta, aliis non nocebit. Oportuisset probari, *quod aliquando cum unus vel alter in hoc Ducatu vellet contradicere tali emancipandi consuetudini, Judicium Principale tunc cognovisset, atque pro ea, Consensu Serenissimorum, contra jus commune* (secundum quod alias judicare, juramento Domini Consiliarii obstricti sunt) judicialiter pronunciasset. Hoc autem minime gentium Actor probavit, ideoque non elevabit firmissimam Negationem contrarii Asserti: in hoc Ducatu Brunsuico - Lyneburgico partis Wolferbytanæ, Consuetudinem liberandi filiam-familias anexibus Patriæ potestatis per matrimonium receptam esse. Interim negari non potest, prætensam consuetudinem, in quibusdam & præsertim iis locis Germaniae ubi Jus Saxonum viget, in usu esse. Hinc Brunnemannus, *in consilio 38. n. 12* fatetur, Licet quidam Doctores per nuptias emancipari filiam putarunt, quos recenset Carpzovius Part. 2. constit. X. defin. 2. Ii tamen loquuntur de jure Saxonico. Et Schneidewinus ad §. fin. *Inst. quibus modis Patria potestas solv.* docet, quod secundum jus civile matrimonium non sit modus solvendi Patris potesta-

testatem, jure vero Saxonico contrarium esse statutum.
Wesenbecius Part. 2. cons. 63. n. 7. Scribit, quod filia jure communi a patria potestate non liberetur, jure Saxonico vero patria potestas solveretur. allegat *Land-Recht lib 2. Artic. 19.* & *Art. II. lib. I. constit. provinc. 10.* Hartwig. a Dassel de consuetud. Lyneburg. in comment. ad L. omnes populi ff. de I. & I. ad Ariic. 2. n. 8. ait: *Jure Saxonico fit emancipatio per nuptias*, quod jure civili fecus est. *Matthias Colerus. decis. 222. in addit. n. 22.* testatur; *de jure Saxonico liberi per matrimonium a patria potestate liberantur*. allegat text. *juris Saxonici Artic. 31. in verb.* Wenn ein Mann ein Weib nimmt & artic. 45. lib. 3. *D. Hieronymus Schurffius cent. 2. cons. 20. n. 19.* tradit, quod jure Saxonum pater non habeat filias suas maritatas in potestate, sed quod sint in potestate viri: Nam jus patriæ potestatis, pergit, est adinventum de jure civili Romanorum. Sed istud jus Romanum, quantum ad patriam potestatem liberorum, videtur sublatum *de jure Saxonum*, quantum ad filias maritatas. *Habnus ad Wesenbec. parat. lib. I. tit. VII. n. 8.* statuit, *jure Saxonico* filias per matrimonium statim patria potestate solvi. Quis ergo dubitet an quoque mos ille Saxonum juri civili Romano contrarius, vi ordinationis Dualis sit abrogatus? Mores enim Juris Saxonici mediante Ordinatione Provinciali in Ducatu Brunsvico-Lyneburgico universaliter aboliiti sunt. Tit. d. V. Fürstl. Braunschw. Lyneburg. Hoff-Gerichts-Ordnung / per verba: Unsere Vice Hoff-Richter und Assessores sollen die finkommende Sachen richten / nicht nach Sachsen Recht / als welches in unsern Fürstenthüm Graff-Herrschafften und Landen nicht statt hat / sondern nach des heiligen Römischen Reichs gemeinen Rechten &c. Quia igitur Ordinatio quo-

quoad mores Saxonicos generalis est, tantum operatur quoad singulas species, sub illa generali dispositione s. Ordinatione comprehensa, quantum operaretur specialis dispositio quoad illam speciem *l. Gallus §. melius. versu. ut instituens ff. de lib. & posthum. Tiraquell in pref. l. si unquam.*
n. 18. C. de revoc. donat. conf. Argentorat vol. I. cens. II. n. 117.
 Nam ea quæ de genere prædicantur, de qualibet ejus specie dicta censentur. *l. item legato 49. §. item interest 3. ff. de legat. 3. Andr. Kohl. Exerc. 6. n. 25.* Et quia ex ipsa etiam præfatione Constitutio intelligitur *Osasc. decif. 58. n. Pais. conf. 83. n. 13. vol. 8. Socin. conf. 165. n. 6. & 7. lib. 2. Sernissimi Ducis Augusti, gloriose memoriae, præfatio Ordinationi Dicasterii Aulici præmissa merito est attendenda; ibi clarissime se explicavit, per verba: Auch an stat der Sachsen Gebräuche / die allgemeine Kaiserliche Rechte in diesem unsern Fürstenthum eingeführet.*
 Ex qua præfatione enixius voluntas Principis quoad sequentem dispositionem intelligitur. Generalis ea est, generaliter ergo Ordinatio quoque est intelligenda. *Roman. conf. II. n. 4. Rol. a Valle conf. 49. n. 43. lib. 1.* Præsertim cum ex Præfatione certa & deliberata mens Statuentis apparent. *Ruin conf. 32. n. 12. lib. 2. Cephal. cons. 561. n. 8. lib. 4.* Si etiam consuetudo Saxonica, vel ulla alia juri Communi Cæsareo contraria, in hoc Ducatu vero non approbata, admittenda esset, repugnaret illud rationi Ordinationis.
Alciatus. conf. 200. n. 7. Et nihil operaretur ordinatio. *Socin. conf. 89. n. 17. lib. 4.* in qua jus Commune Cæsareum. deficiente Statuto speciali, aut consuetudine in hoc Ducatu singulariter approbata, pro norma & cynosura sententiarum ad definiendas causas indefinite receptum & declaratum, Judicique mandatum, jus reddere deficientibus Statutis, secundum consuetudinem probatam & ista deficiente, secundum jus

jus commune Cæsareum. Si quis objiceret, hanc consuetudinem non in jure Saxonico, sed in *Leonis Novellæ XXV.* æquitate radicatam esse. Huic responderem, eam ex illa Novella quoque non posse contra Ordinationem salvavi, quia Novellæ Leonis, in quantum corrigunt jus Justinianeum, in Romano Imperio non sunt receptæ, & ideo non obligant, nec juris communis Cæsarei Romanī autoritatem habent. *Manzius de testamentis. tit. IV.* n. 53. *Cujac. 17. observat. 32. Vultejus in Jurisprud. Roman. prolegomen. p. m. 32.* Ordinatio Ducalis autem jubet secundum *jus Commune Romanum*, deficientibus statutis aut consuetudinibus localibus *jus dicere.* Constitutiones Novellæ vero Imperatoris Leonis, cognomento Philosophi, non sunt Jus Romanum. Ille Orientali imperio duntaxat præfuit, in Occidentali hoc Romano-Germanico imperio nunquam viguerunt, nunquam frequentatae, multo minus eæ contra *jus Romanum* possunt allegari, aut vim *Juris Romani* sibi vindicare. *vid. Hunnius de Interpret. Juris cap. VI.* Cum itaque clare ex verbis Ordinationis appareat, quomodo & quando ad *jus commune* sit recurendum, sequitur, non extante conditione illa seu qualitate *jus commune* excludente, semper secundum *Jus commune* esse pronunciandum, nec aliquid juri communi Cæsareo contrarium sub colore alicujus excogitatæ Æquitatis & captatoriæ Interpretationis admittendum. Quid nobis cum glossa, ubi textum habemus? Ordinatio Ducalis promulgata ad introducendum *jus commune* Romano-Cæsareum, ergo non debet explicari adeo licenter ut infirmet, seu deroget Juri communi, cum introducere & derogare sint repugnantia. Vna etiam res in dubio non debet diverso jure censeri. Nec in dubio præsumitur Serenissimus

mos Legislatores iisdem verbis unam rem diverso modo terminare voluisse. At, si Ordinatio Provincialis inteligeretur partim jus commune firmare, partim vero (extra casus respective exceptos, & in ordinatione expressos) infirmare & recedere, diverso modo determinaretur, quod præsumi non debet, nec accersenda aliqua interpretatio, ubi lex clara extat. *Rota decis.* 108. n. 6. Part. I. *Mascardus de statut. interpret. conclus.* 2. n. 174. *Nec judicis est interpretari, aut restringere legem, aut de lege judicare, sed secundum eam jus dicere.* Postquam enim lex fuit promulgata & firmata, non licet Judici a lege lata deviare & recedere. *Augustinus in c.* in isto. distinct. 4. Nec satis est, si pars litigans ad consuetudinem juri Cæfareo adversantem provocet, sed *Judex de veritate sollicitus, curare debet, ut nihilominus consuetudo ab allegante probetur.* *Per Novell.* 106. *pr. Brunnemannus ad l. cum de consuetudine* 34. ff. *de LL.* Diceret hic aliquis: Curia novit leges, ergo & consuetudines, quæ etiam leges dicuntur, probatio itaque non desiderabitur. Huic repono, Brocardicum istud de jure civili tantum intelligendum, non de consuetudine, quia consuetudo facti, & idcirco probanda est. *Mevius decis.* 313. Part. 3. & *decis.* 277. Part. 2. Et quamvis consuetudo de qua quæritur juri Communi contraria, ante Ordinationem promulgatam in hoc Ducatu vixisset, de qua quidem non constat, Ordinatio tamen posterior quæ secundum jus commune pronunciare jubet, non probata frequentia & uniformitate actuum practicorum, diurnaque scientia & patientia Serenissimorum Legislatorum, consuetudinis illius allegationem vinceret. Quia recepto & introducto jure communi Cæfareo, omnia illa abrogata & pro irritis declarata
cen-

censentur quæ huic juri sunt contraria donec probetur contrarium. Nam affirmatio & negatio simul eidem in esse non possunt, contrariumque effectum operari non debent inducta ad unum finem. arg. l. 19. de legat. I. Card. Tusch. tom. 2. lit. C. conclus. 1010. Et qui Ordinatione & lege lata suam intentionem probat, ad probandum ejus observantiam non adstringitur; sed causam ipsam tamdiu fundatam habet, donec adversarius contrariam consuetudinem plenissime ostendat. Castro Palao operis moralis Part. I. tract. 3. disp. I. punct. 13. n. 7. Quod etiam probat textus Ordinationis Dicasterii Aulici, quo secundum Jus commune pronunciare jubentur Assessores, donec lex provincialis vel consuetudo alia præsens & extans (notanter dicitur, in unserm Fürstenthum vorhandenen Gewohnheit/) allegetur & probetur, quod indicant verba: Sie sollen in so weit nach den Gewohnheiten zu richthen schuldig seyn / Wann und so viel derer / die litigirende Partheyen allegiren und behaupten. Cui probationi indubie etiam consuetudo allegata subjecta est. Nec obstat quod ab Actore notoria prædicetur, nam & Notorium facti transeuntis legitime est probandum, si a parte adversa sit negatum. Bald. in l. cum fratrem C. de his quibus ut indign. Vbi docet, nullum Notorium de mundo relevare ab onere probandi, nisi sit facti permanentis. Salicet. in l. qui C. de accus. Zas. lib. I. conf. 5. n. 110. At consuetudo, non permanentis, sed transeuntis, & momento immutati vel immutandi facti est. Phil. Corneus. conf. 83. n. 14. vol. 4. Cothmann. vol. I. Resp. 13. num. 152. Denique quando ab Antagonista adjicitur, quod probata universæ Germaniæ generali consuetudine, consequeretur eandem in Ducatu controverso probatam quoque censi, quia contentum imitaretur sui continentis leges; Et partis

tit eadem esset ratio, quæ totius; Labile est argumentum. *Nam quando probavit, eo quo debuit modo universa Germaniæ generalem consuetudinem?* Antecedente non firmato, consequens in auras abit & evanescit. Et de contento quod tradit, eam quoque limitationem patitur, quam in accessorio observandam esse monui, ut tum demum procedat, si contenti & continentis una eademque sit ratio. *c. accessorium, ibi interpr. X. de reg. juris.* Hic autem ea non obtinet.

Dum vero in Generali consuetudine Adversarius omnem rem & spem posuisse videtur, decuisset ante omnia, eam sufficienter docere; non enim sufficit aliquid pertinaciter afferere, quando assertum a contradicente absolute negatur. Concedamus in plurimis Germaniæ locis consuetudinem illam, de qua disputatur, vigere; per hoc tamen inferri nequit, eam ubivis in tota Germania generaliter esse approbatam, adeo, ut non obstante hujus vel illius Principis Imperii, Votum & Sessionem in Imperio habentis, peculiari Ordinationem, (qua exclusis aliis juribus, deficiente Statuto aut consuetudine locali, secundum jus commune Cæsareum pronunciari mandatur,) Consuetudo illa, in aliis quibusdam locis Imperii, ex libera voluntate recipientium introducta, causæ decisionem in territorio ejusdem hereditario præcise parere debeat. Generalis enim Consuetudo Germaniæ, quæ Principem Imperii Supremam Jurisdictionem, in suo territorio, ubi alias vi legis publicæ ab ipso conditæ & promulgataæ, deficiente speciali statuto Provinciali, aut consuetudine approbata locali, jus commune Romano-Cæsareum observari debet, habentem, obligare potest, secundum eam ut jus dicere sinat, hæc est; quæ generaliter unanimi Placito & Consensu Augustissimi Imperatoris omniumque Ordinum

num Imperii, in omnibus Provinciis, territoriis & locis Germaniae, ita universaliter & absolute est recepta, ut propter eam contra jus Commune Cæsareum, ubique, non attenta hujus vel illius Principis Imperii Constitutione vel Ordinatione juri communi conformi, pro consuetudine illa generali, juri communi Romano-Cæsareo scripto seu Justinianeo adversante, stricte pronunciari oporteat Generalis enim consuetudo non dici poterit, nisi generaliter ab omnibus fuerit approbata: quia Generalitas Imperii indistincte includit singulos Principes sub illa generalitate comprehensos, nullo Principe excluso. Dici autem non potest, omnes consensisse, nisi de omnium quorum interest consensu constet, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. c. quod omnes 28. de R. I. in 6. Vnde merito & illius immediati Imperii membra, cuius potestas leges sanciendi, quo jure Magistratus in suo territorio ad decidendas causas utatur, vi consuetudinis generaliter receptæ limitari & restringi debet, consensus est probandus; Quia alterius factum alteri nocere non debet. arg. l. de pupillo § si plurimum ff. de N. N. O. l. 74. ff. de R. I. l. 68. ff. de acquir. hered. Nec res inter alios acta aliis præjudicare potest. l. fin. C. quibus res judic. non noc. c. inter dilectos. de fide instrum. c. dilect. in fin. de præbend. Talis consensus, vel expressus, vel tacitus esse debet. Expressus in præsenti controversia quoad Serenissimos Duces Brunsuico-Lyneburgicos, non est probatus; Tacitus ergo sufficienter probari debuisset, per aliquot actus praticos in Ducatu Brunsuico-Lyneb. per diuturnum & ad præscriptionem sufficiens tempus, a Populo sine interruptione deliberate & publice introductus. Et quod Serenissimi Duces illos actus positivos juri communi repugnantes, vel confirmaverint, vel fieri, scienter per-

miserint. arg. l. si fidejussor 6. C. mandati vel contra. l. si renunciandi 6. §. 2. ff. mandati vel contra. Clement. 5. de procurat. Paul. Christin. vol. 5. decis. 181. n. 4. Quia præsens, sciens & tacens, qui vetando impedire poterat, quod agebatur, consentire videtur, etiam in id, quod in suum vergit præjudicium. L. sepe 63. vers. cur autem ff. de re judicata. Quod inter alia bene etiam notavit. D. Bedo Oldekop. in eleganti sua Disputatione Inaugurali, de consuetudinibus cap. 2. th. 2. 6. 7. 88. Id vero minime gentium ab Adversario probatum est, multo minus de expresso consensu constat. Nil itaque refert in multis locis Imperii consuetudinem esse receptam, sed ad ostendendam Generalem consuetudinem omnes imperii cives obligantem, plenissime probari debuisset, eam in omnibus locis Imperii, ob generalem Sacratissimi Imperatoris omniumque Statuum coniunctim sumtorum, approbationem, indistincte in omnibus locis Imperii, contra jus commune Romano-Cæfareum obtainere. Nam a singulari ad universale non valet consequentia. Et hujus vel illius loci arbitria consuetudo & observantia Superioritati, quadantenus Majestaticæ, Principis Imperii jus nomotheticum i. e. Potestatem regendæ Reipublicæ, in primis in suo territorio Leges (publicis in comitiis Imperii lati si non adversentur,) condendi, item ordinandi Magistratus, adeoque juris reddendi, sine facto suo præjudicare nequit. arg. l. id quod nostrum. ff. de R. I. Et quia Consuetudo juri communi Justinianeo contraria, qualis est de qua certatur, stricti juris est, Baldus conf. 275. n. 9. vol. 2. Aretin. conf. 44. n. 1. Alex. conf. 48. n. 22. proinde neque de uno loco ad alterum. Aretin. conf. 115. n. 4. Joann de Amicis conf. 1. n. 41. neque de provincia ad Provinciam. Bertrand. com. 102. n. 1. vol. 4. Alex. conf. 68. n. 16. lib. 2. neque de Regno ad

ad Ducatum Regno adjacentem, vel Regno subjectum
Phil. Decius conf. 389. n. 10. Franciscus conf. 571. n. 9. & 10.
lib. 2. Late Cothmannus. Resp. 84. lib. 2. extendi potest. Sum-
matim ut dicam, Notorietatem Generalitatis consuetu-
dinis prætensæ Adversarius tenetur probare, quod, (si
valuisset,) fieri debuisset, edocendo ex Actis Publicis,
quod de ea in tribunali summo Imperii contradictionis
negotium aliquoties fuerit agitatum, & quod per longum
tempus, secundum illam Consuetudinem uniformiter
fuerit judicatum. Curt. adl. cum de consuetudine. 34. ff. deLL.
Aut quod Consuetudo illa, quam Generalem dicit, in
publicam scripturam Imperii fuerit translata, tunc enim
Autoritatem Generalis Imperii legis accepisset, qualis
per Status alicujus specialem Constitutionem facile non
poteſt convelli, si præſertim talis confignatio munita eſſet
clauſula derogaторia, quod nimirum, non obſtantē jure
communi contrario, vim ſuam & effectum præcife &
generaliter fortiri debeat. Quod quidem Adversarius
non oſtendit, nec oſtendere valebit. Postquam ita ad
oculos monſtratum, primū argumentum a Generalite,
in qua tamen caro præſentis quæſtionis verſatur, in-
vita Minerva petitum eſſe, ſecundum objectionem vi-
debo.

II. Sententiam ſuam; per universam Germaniam
 Consuetudinem generalem vigere, quod mediante ma-
 trimonio liberi emancipentur, Dominus Antagonista
 confirmare nititur ex Origine vocis *Freyen*/ quæ libe-
 rari a Patria potestate indubie significaret. Ita enim vo-
 cem *Freyen* intellexiſſet *Vultejus*, *Musculus*, *Mollerus* &
Feltmannus, clarissimi Jurisconsulti, omnesque Germani.
Freyen/ ſcribit *Vultejus*, dicuntur, qui matrimonium in-
 eunt, *ut puto*, quod a nexibus ſive vinculo Patriæ po-
 tatis

statis liberentur. *Vt puto*, inquit. At ita cum *Musculo*,
 qui primus hujus allusionis autor est, putavit, quem de-
 inde Daniel Mollerus *dubio passu* secutus est. Dominus
Feltmannus autem, nitidissimus hujus ætatis *JCtus*, *Vul-*
teji autoritate nititur & addit, in quibusdam Germaniae
 locis dici: *Er hat gefreyet*/ de eo qui duxisset uxorem.
 Quam necessaria sit in re litteraria atque adeo in jure ver-
 borum accurata interpretatio, satis *JCti* in amplissimo
 de verborum significatione titulo, in Pandectis demon-
 strant. Verum enim vero, etiam magnis verborum
 indagatoribus, non semper exploratum est, unde vox
 aliqua originem ducat. Sæpen numero origo verborum
 pro cuiuscunque ingenio prædicatur, & quam pericu-
 losæ sint in verborum etymis investigandis conjecturæ,
 quamque fallaciter plerique suis conjecturis sibi abblan-
 diantur, satis norunt quotquot sunt eruditæ. *Id etiam*
Værro innuit lib. 6. de legibus. Salva honorificentia cele-
 berrimis Viris debita, liceat mihi ab opinione quam de
 Voce illa tradiderunt, dissentire. Verbum *Freyen* non
 significare a Patria potestate liberari, ex eo apparet, quia
 etiam de iis dicitur, qui matrimonium ineunt, jamdu-
 dum a Patria potestate vel per emancipationem, vel
 morto Patris liberati. Wann *Freyen* so viel hiesse als
 von Väterlicher Gewalt befreyet werden; Worüm sagt
 man denn auch von denjenigen/ welche nach ihres
 Vaters Tode zur Ehe schreiten/ und keiner Väter-
 lichen Gewalt mehr unterworffen sind/ daß sie freyen?
 Wann *Freyen* so viel bedeutet/ als aus Väterlicher Ge-
 walt in die Freyheit kommen; worüm sagt man denn
 nicht von denjenigen/ dessen Vater entweder naturaliter
 oder civiliter gestorben/ oder wenn er ob Capturam Patris,
 oder per Adoptionem aus Väterlicher Gewalt kommt/
 daß

daß er Freye / oder gefreyet habe? Aliud ergo per
 vocem Freyen indigitari certum est. Mollerus ipse Masculi
 allusionem in dubium vocavit. Quum enim in commenta-
 rio ad allegatam Constitutionem X. Partis 2. n. 8. scripsis-
 set, verbum Freyen fortassis innuere, quod videlicet
 plenaria & irrevocabilis liberatio, sive solutio a Patriæ
 potestatis nexibus per nuptias contingat, addit: quamvis
 Freyen / a voce Freya deductum malint. Et forsitan non
 adeo inconcinne verbum Freyen inde derivatur. No-
 tum enim est ex Antiquitatis Germaniae scriptoribus,
 apud Germanos veteres Venerem sub nomine Frea cele-
 bratam fuisse. Freia, sive Frea, sribit Schererus de Diis
 German. p. 215. Ist des vierten Königs der Deutschen oder
 Sachsen Gemahlin gewesen / welche vor die Deutsche
 Venus, das ist / die Göttin der Liebe und des Freyens ge-
 halten und geehrt ward / daher Freitag / dies Veneris /
 der sechste Tag in der Woche / an welchem auch die erste
 Frau / oder Jungfrau geschaffen morden. Cæsius in den
 10. Sendschreiben die Deutsche Sprache betreffend/
 p. 24. Paulus Warnefridus de gestis Longobard. lib. I. cap. 8.
 Saxo Grammat. lib. I. & 5. Ordericus Vitalis lib. 4. pag. 513.
 Nonnius apud Gruterum tom. I. Criticor. fol. 1372. Goldast.
 ad Parænetic. fol. 454. Christoph. Arnold, von Deutschen
 Götzen - Bildern cap. 7. p. 49. Ab hac Dea Frea,
 quæ Amorum conciliatrix credebatur, forte vocabulum.
 Freyen derivatum est, eique maxime congruere videtur,
 ita ut Freyen veteribus Germanis nihil aliud significa-
 verit, qnam Veneri seu Frea studere, vel Amori se dare. Et
 quod Latinis est procari, Germani patro sermone dicunt
 Freyen & Fryen / quod & Deæ vocabulo Freye, s. Friæ
 quam maxime convenit. Cliverus in German. antiqua lib. I.
 c. 27. n. 5. A voce Frea forsitan etiam descendit vox Frau (quæ

F

nobis

nobis est & fœmina, & uxor, & Domina) in Honorem fabulosæ Amoris Deæ, a superstitione antiquitate forsan ita dicta, quasi *Frea* gratia emerita, & a *Frea* quæ Amoribus præesse credebatur, tradita. Quod vocabulum deinde in sequentibus temporibus, ab idolatria, Dei O. M. Gratia, expurgatis, neglecta originis investigatione, in usu mansit, etiam apud Christianos, non exquirentes studiose, unde sit ductum, sed satis putantes, posse quid significando valeret. Ita adhuc hodie *Westgothis* uxor dicitur *Frea*/ *Danis* *Frene*/ *Islandicis* *Freye*/ *Helvetiis* *Frota*/ qui omnes origine Germani sunt & quondam Idolum *Frea* coluerunt. *Wormius in Fastis Danicis lib. I. cap. 15.* Forsan ab illa *Frea* etiam derivandum vocabulum Belgicum *Freyster*/ quo significatur eine junge Dirne die man freyet i. e. zur Ehe nimmt.

Cæterum absque dubio multæ voces quibus hodie utimur a *Gothis*, Germanica Gente, sumptæ, quod clarissimus *Junius* in suis originibus satis ostendit. Quid si vox *Freyen*/ verbo *Frygan*/ quod *Gothis* significat *amare*, originem deberet? Et *freyer*/ indigitaret *Amatorem*, qui *Gothis* *Frigond* dicebatur. Haud absone id conjici posset. vid. quæ notavit. laudatus *Junius in paraphrasin Willeramii incantic. canticor. p. 295.* & *Vorstii* observat. in linguam vernacul. cap. 13. Nec quis merito objiciet, quod vocabula *Frigond* & *Frygan* sint obsoleta, quia originem verborum investiganti, interdum ad obsoletas & vulgares voces, situ jam obrutas atque antiquatas est recurrentum, scriptoresque antiquiores consulendi, a quibus haud dubie haurire potest, unde tutius conjecturas suas possit confirmare. Alias *Fryan* in veteri Gothica Lingua, notavit eligere cum affectione quadam singulari, ita legi in veteri Codice in Bibliotheca Augusta Wolferbytana;

tana; aferst Lysias Fryat meunich Vorsten. I. Macc. 3.
 v. 38. i. e. aber Lysias wehlet egliche Fürsten. item:
Paulus aferst Fryat Silan / Act 15. v. 40. i. e. Paulus aber
 wehlet Silan. item Ich wen nit welcheses Ich
 scryau sön phil. 1. v. 22. i. e. Ich weiß nicht welches
 ich wehlen sol. Optimeque verbum Frygan / amar di-
 ligere, cum verbo Frygan convenit, & forsan ab hoc tan-
 quam primario derivatur; Amare enim in se comprehen-
 dit electionem, & diligere nihil aliud est quam cum cura
 & solicitudine eligere, imo electio semper præcedere de-
 bet Amorem. Egregie hac de re *Dn. Urban Dieterich*
Lüdeke / in judiciosa Dissertatione sua, de Curiositate n. 5. In
 matrimonio, inquit, curiosus esse debet contrahens, in
 alterius quo cum coire intendit, qualitates; cum enim ma-
 ximi momenti negotium sit matrimonium, & non nisi
 ob urgentissimas rationes rescindatur, cautione opus erit,
 ne quis in illud primo statim impetu proruat, sed bene
 antea secum perpendat, quæ ipsi ex eodem vel com-
 moda, vel incommoda obyenire possint. &c. Nec ama-
 ri recte potest, nisi id amabile esse cognoverimus, & in
 quo sit causa diligendi, i. e. quod sit bonum, jucundum
 & utile. *Arist. Ethic. 8. cap. 2.* Adeo Freyend in genere
 notat electionem amabilis conjugis, & Freyer est, eli-
 gens aliquam Virginem aut Viduam in consortium ma-
 trimonii. *Bellinus de lingua German. epist. X. verbi Freyen*
 originem a voce Frau accersit, & quod scribendum sit
 per äu / quia descenderet a voce Frau. Ut ita Freyent
 si de virili genere diceretur, significaret eine Frau neh-
 men / si vero de sexumuliebri, eine Frau werden / oder
 sich in den Frauen- Stand begeben. Lectoris relin-
 quo arbitrio quam derivationem de pluribus eligat. Nul-
 lum quidem contemno, verisimilior tamen mihi videtur

eorum opinio, qui Verbum **Freyen**/ a voce **Freyheit** derivant; Quia in matrimonio contrahendo summa liberitas, & consensus liberrimus esse debet, uti rescribit Imperator in l. nec filiam 12. & l. neque ab initio 14. C. de nupt. L. 2. C. de inutil. stipul. Cum quo se conformant J.Cti. in L. capite. 19. ff. de Sponsal. & L. Titia 134. ff. de V. O. Ratio est, arctissimum societatis vinculum tum in animorum tum corporum coniunctione, individuaque vitae societate consistens. L. I. ff. de nuptiis. quod per matrimonium contrahitur, & absque gravissima causa legibus permissa, solvi non potest. In tam arduo negotio igitur ubi nubendo non prosperæ tantum; sed & adversæ fortunæ initur societas L. 22. §. 7. ff. solut, matrim. merito libera eligendi & statuendi facultas contrahentibus relinqenda est, quæ libertas nulla lege vel statuto infringit potest. **Joann. Kizel** in synopsi matrim. theor. IV. lit. A. **Paul. Cypræus** de jure con-nub. P. I. de Sponsal. cap. 8. §. 25. **Henric. Brauwer.** tr. de jure connub. cap. 6. n. 10. Sublata enim libera voluntate contrahendi matrimonii, frequenter sequuntur perpetuæ rixæ & mutuæ inter conjuges insidiæ, fit lectus luctus, fit thalamus tumulus. cap. requisivit. X. de sponsal. Et co-actiones difficiles pati solent exitus. c. gemma. X. de sponsal. Vox **Freyen** ergo significare videretur libere eligere matrimonii consortem, durch freye Bewilligung beyder Theile deret Contrahenten eine Ede beschlossen. Denn zum Freyen gehöret ein freyer Wille und wo die freye Be-willigung nicht ist/ da ist keine Ehe. **D. Müller** tract. von ungerahmener Ehe. pag. 238. Daher wird die Er-wehlung eines Ehegemahls ganz nachdenklich durch das Wort Freyen exprimit, weil nirgent mehr als in Er-wehlung eines Ehegenossens die Freyheit statt finden soll. **D. Valther ad Decret. Concilii Tridentin. de reformatione**

Matri-

Matrimonii. Session. 8. cap. I. quæst. XLV. ubi ex Dedekenio allegat. Respons. Theologicæ & Juridicæ Facult. VVitteberg ad Consult. Senatus Friberg. d. 16. Julii. 1610. D. Polycarpus Lyser in explic. Matth. 19. v. 6. Carpzov. lib. 2. jurispr. consil. tit. 2. def. 26. num. 6. 7. seqq. Joseph Hallens Gewissens-Raht dec. 4. quæst. 4. Ex his appareat conjecturam JCTi Musculi ejusque Sectatorum, in etymologia verbi **Freyen**, quo liberationem a patria potestate denotari voluerunt, vim inferre veræ vocabuli rationi & significationi, Persuadere autem propemodum mihi nequeo, Viros illos Clarissimos ita serio sensisse, potius crediderim, aliquid facilitati ingeniositatis extemporaneæ, prout sese obtulit, fuisse indultum, illamque conjecturam eis excidisse, quam in meliorem partem decet interpretari.

III. Quod vero Dominus Antagonista ad Generalem universæ Germaniæ consuetudinem afferendam, in multitudine Doctorum, quorum nomenclaturam præter omnem necessitatem cumulavit, & ad sexie repetitum sacram septenarium numerum adauxit, præsidium suum quærerit, irritum plane conamen est. Certe tantorum virorum gloriosos manes literarius orbis veneratur, ipseque fulgentissima Jurisprudentiæ nomina merito æstimo, eisque nihil detractum cupio; sed ut illud, quod ad propositum facit, propter nullum respectum reticeam, veritas libertatem suggerit. Nec me movebit allagatorum Virorum clarissimorum dignitas, accidit enim, inquit Thucydides, ut veritatem interdum minores potius, quam majores consequantur. Quod & laudatissimæ memoriæ Imperator Justinianus sensit; fieri posse, dicens, ut unius alicujus, deterioris etiam autoritatis JCTi sententia verior & melior sit, multorumque majorum opinionem superet ac vincat. L. 2. Cod. de jure. vet. enucle-

and. Multitudini Autorum longo ordine enumeratorum confidit Dominus Contradictor. An vero hoc argumentum invincibile; hæc pars major est, ideo verior, ipse viderit. Qamvis facti quæstio, (verba sunt *Dn. D. Landwehr*, in tractatu de relationibus Judicialibus, in quo celsum Relatoris officium, quomodo in Senatu recitare & proponere contraversiæ historiam, Justitiamque vtriusque partis æque recensere debeat, graviter & prudenter profequitur, aphorism. XIII. n. 2.) tota in arbitrio Judicis esse dicatur, quia probationibus, quæ in arbitrio plane Judicis positæ sunt, dependet *L. 3. §. ideoque & L. ob carmen ff. de testibus.* cum similibus. Hac in re tamen Judex quoque limitibus, terminis, atque accellis certis circumscriptus est, quos transire non debet: Acta namque & probata, quæ rei, de qua agitur, magis proxima atque aptiora, convenit eum sequi. Huc usque prælaudatus *Dn. D. Landwehr*. Antequam ergo Judex aliquit de probationibus statuat, scopum sibi præfigere debet, Veritatem; Nihil pro vero admittat in facto, nisi quod certe & evidenter verum esse ipse cognouerit. Ajetibus testibus consuetudinem aliquam esse, non statim credat, credulitas enim facilis, indigna est Judice prudenti. Non sufficit ad probandam consuetudinem, quod multi simpliciter dicant, ita esse consuetudinem, sic enim testimonium dicerent de jure, non defacto: testes autem factum deponere debent, & non jus. Doctores, qui a parte aduersa allegati sunt, non attestantur de facto, quod ipsi vidissent præsentes, sed simpliciter testificati sunt de ipsa consuetudine, quæ est jus non scriptum. *Cyn. in l. 2. C. que sit longa consuetudo. vers. sed quero. quid depo- nent. & ibid. Rosat. n. 59. & Bartol. in l. de quibus vers. sed quid si testes ff. de LL. quos refert ac sequitur. Mynsingerus. singul. obs. cent. VI. obs. 41. n. 14.* Nec probantur Consuetudo

tudo si per Doctores tantum sit in scriptis redacta, aut in aliquo tractatu, Consilio, aut Responso scribant, aliquid esse de consuetudine. Nam in his quæ facti sunt, & in facto consistunt, Doctorum assertis non creditur. Consuetudo autem & facti. c. 1. *de consuetud. lib. 6.* Et facta per sensum, non per διάνοιαν, seu discursum intellectus, aut præcepta cognoscuntur *Dd. inl. solam. C. de testibus.* Quod vero Bartolus scribit, Poetis, Philosophis, Historicis, Medicis, argentariis credentum esse, Id de eorum professione verum est, At Doctoris professio non est in consuetudinibus; Eæ enim a populo discuntur, in iisque (ut Zasius loquitur,) Doctor non plus est, quam quilibet lixa aut calo, apparitor, aut cerdo, *Zas. ad L. de quibus ff. de LL.* Aliud dicendum de consuetudine non scripta, judiciali, ut est consuetudo styli, seu processus judicialis. Ea per Doctores in eo foro versatos non difficuler probatur. Quamvis autem in quibusdam locis mos Saxonici juris rescriptus sit; (negare enim nolo, in nonnullis locis, ubi Doctores illi qui de Consuetudine illa de qua disceptatur, testati sunt, vitam degerunt, morem Sexonicum, Paulatim irrepsisse, dum forsan Advocatiligrantium, pro quorum causa militarunt, Jus Saxonicum sine discrimine allegarunt, & Pars adversa, ex ignorantia forte, non contradixerit, Judex vero idem approbaverit.) Exinde tamen non sequitur, Consuetudinem illam extra fines jurisdictionis illorum locorum, generaliter esse introductam. Quia vero Judex, si officio suo laudabiliter velit satisfacere, secundum Constantini Imperatoris in l. 9. C. de judiciis effatum, cuncta rimari, veritatemque, qui principalis finis est Judiciorum, plene investigare debeat, quo certi quipiam pronunciare, Decretumque suum stabilie, fixum, ratumque esse, nulla-

nullaque ratione moveri queat; quod ipsum *Dn. Hier. Vigand. a Lassett* in suo eruditissimo, hillariorisque famæ *Scripto Politico-Juridico de Principis Cancellario cap. IX.* § 8. in Sapiente insigniter commendavit. Igitur in assertionibus nudis, etiam magnæ autoritatis Doctorum de consuetudine generali attestantium, non acquiescit, si ulterius habeat, quod circa assertionem illam quærat. Quærerit autem (1.) an consuetudo talis sit. (2.) quare sit. (3.) an etiam id, per quod respondeatur, quærenti causam, sit vera causa, ne seducatur fallacia non causæ at causæ. Assertio nuda unius aut alterius Doctoris est valde imperfecta, & sæpius ne quidem cum verisimilitudine aliqua, non dicam cum Veritate, (scopo Judicis recti,) conjuncta, nec per se est fide digna. Non diffitemur esse quosdam homines ita comparatos, ut ei, quod sibi apparet verum, sæpe pertinacissime inhærent, nec nisi vi quandoque a sua sententia dimoveri possint. At judex, veritatis amator & assertor, optime scit, non propterea id, quod quidem putant verum, statim esse verum. Non obstat Domini Antagonistæ objectio, quod, testante *Mynsingero, Decio & Alexandro, JCtis insinibus, Doctori excellenti alleganti consuetudinem, fides sit danda.* Ex jam dictis patet debilitas talis doctrinæ. Mynsingeri autem, aliorumque JCtorum, statuentium, Doctoribus de consuetudine attestantibus esse acquiesendum, opinio, aliquo modo excusari potest, si non aliter intelligatur, quam respectu singularis consuetudinis, & particularem locorum, eorumque duntaxat, in quibus hic vel ille Doctor celeberrimus versatus fuit, juxta distinctionem *Antonii Gabrielii tit. de probationibus, conclus. 4. n. 3.* Et ita hanc opinionem restringendam esse tradidit *Herculan. de modo probandi negatiuam n. 30. in 5. contrarie*

rie sentent. restrict. Mascard. de probat. conclus. 528. n. 6:
 Menoch. conf. 911. n. 18. & lib. 2. de arbitr. judic. quest. cas.
 360. n. 94. Hondonedæus conf. 101. n. 39. & conf. 110. n. 19
 vol. I. Ubi respectu loci, in quo Doctor non fuit versatus,
 eius attestationem de consuetudine, nullam probationem,
 imo non præsumptionem facere, ostendit. Et quia Prudi-
 dentis non est, in errore persistere, sed præstet id quod
 melius, i. e. verius eligere, quod absque inconstantiae
 nota etiam a JCTo fieri posse Nobilissimus Dominus a Læf-
 fert / in exornatissimo suo Scripto de Principis Ministrissi-
 mo, cap. d. 9. §. d. ostendit. Ea propter ipse laudatus
 Mynsingerus quamvis centur. V. observat. 96. n. 2. & seq.
 Doctoribus de consuetudine attestantibus credendum esse
 tradiderit; in observatione tamen 68. centuriae VI. verio-
 rem sententiam est amplexus, quod non credatur Do-
 CTORI, quantumvis excellenti & celebri, attestanti Con-
 suetudinem tam exstare. Ibi allegat Alexandrum, sibi
 quoque contrarium, in l. post dotem n. 29. ff. solut. matrim.
 & alios. Hancque sententiam magis receptam & in ra-
 tione bene fundatam cum Alexandro dicit. Licet etiam
 Decius conf. 539. & conf. 694. ab Antagonista citatus, di-
 xisset, communem opinionem esse, quod Doctori cele-
 bri de consuetudine attestanti fides sit habenda; Judex
 tamen cordatus, communes opiniones, nulla sana ratio-
 ne fultas, non respicit, præsertim ubi autoritas rerum
 perpetuo similiter judicatarum deficit L. 38. ff. de LL. e-
 xaminat quoque præjudicia, si quæ allegantur, (quæ
 quidem in præsenti casu absunt,) multa enim interdum
 deciduntur, quando locus vel tempus non patitur ple-
 num deliberandi consilium, ut inquit JCTus in l. 1. ff.
 de exerc. act. Inspicit ergo opiniones communes; Illor-
 um autem pertinax dictum aversatur: Dicat, quod
 quis-

quisque velit; ego a sententia multitudinis Doctorum non dimovebor. Mavult enim versare sententias & judicare, quam serviliter credere & sic in errorem descendere cum iis, qui ad sententiam, quam primum arripuerunt, tanquam ad saxum adhærescunt, malentes credere, quam judicare. Rationes ponderare proprie est Judicis docti, Autoritatibus moventur plerumque illiterati. Multitudinem allegatorum Doctorum cum Nomenclatoribus laudant, non reputantes sèpius accidere, ut communium opinionum sectatores similes sint avibus, quarum unam prævolantem turmatim sequuntur omnes. Denn das Meer (per quod & mare & pluralitatem opinionem indigitamus) wirfft nicht allein Perlen / sondern mehren theils grossen Utrahrt auf / & Deus plurimorum acquiescere sententiae prohibet, si a vero devietur *Exod. 23. vers. 2.* Cæterum *Decius JCtus* a parte adversa citatus, in *conf. 42. n. 5.* opinioni, quod Doctori afferenti de consuetudine credatur, plane est contrarius, & dicit *quod hoc non sit verum*, quia cum consuetudo sit facti, debeat probari, eamque opinionem in jure non esse fundatam.

Nec credi Doctoribus de universali consuetudine attestantibus, ex magis communi opinione Doctorum in Rota Romana approbata, scribit *Hondecaeus conf. d. 110. n. 91. vol. 2. Bursat. conf. 16. n. 37. & conf. 261. n. 47. Tessaure. decis. 149. n. 2. Colerus. de process. exetutiv. P. 3. cap. II. n. 66.* Quævis etiam secundum quosdam assertio Doctorum inducat præsumptionem & transfarat onus probandi in par em adversam. Quam conclusionem sequitur *Decius conf. 539. & conf. 694.* Hoc tamen, uti dixi, procedit tantum in curia, in qua versatus est Doctor ille, qui suis scriptis de re aliqua esse consuetudinem, attestatur, ut per *Parid. de Puteo in tract. Syndic. in versic. Doctor. Alex. conf.*

conf. 5. lib. 3. & Decius conf. 472. Joann. Dilect. Durant. tract.
 de arte testandi tit. V. cautela 35. n. 3. satis deductum est.
 Et Doctori non nisi de suæ Provinciae consuetudine attestanti fidem accommodandam esse, evincit Gilkenius in l.
 paetum quod dotali num. 88. C. de paet. idem in tract. de pæ-
 script. Part. 3. cap. 3. n. 202. Ludolphus Schrader conf. 9. n. 60.
 lib. 1. Referens apud Klockium in Votis Cameral. IX. n. 151. Ig-
 tur Consuetudo si servabatur in loco Doctoris attestan-
 tis, ea non est extendenda ad loca separata. Capic. decis.
 176. Cephalius cons. 709. n. 4. Quod vero quidam Doctorum dicant, in universa Germania, imo Europa, consuetudinem approbatam & receptam esse, ut filiae per Nu-
 ptias & discessione e Patris domo emancipentur, & in
 solius Mariti potestatem transeant, in hoc Viri illi Clari-
 fissimi sibi dissimiles videntur, & dum τὸ μέσον hyperbo-
 lice excedunt, Rhetorice magis quam historice eos ita
 scripsisse existimo. Aliter celebritas tantorum Vi-
 rum non finit credere. Nam (ut hic JCTi Cephalii ver-
 ba, mea faciam,) dicere de universa Germania, imo Eu-
 ropa, generalem consuetudinem in hac vel illa re intro-
 ductam & approbatam esse, prope temerarium foret;
 cum verisimiliter ipse qui asserit totius Germaniae aut
 Europæ observantiae notitiam non habuerit. Jo Cepha-
 lius cons. 709. n. 28. lib. IV. Quomodo autem quis de ob-
 servantia aut consuetudine, quæ facti est, firmiter at-
 testari posset, de qua non plene, & circumstantialiter est
 informatus. Non enim sufficit dicere: hæc consuetudo
 generaliter in tota Germania tacito populi universi con-
 sensu approbata & recepta est, quia tot celebres Docto-
 res id attestati sunt. Per simplicem assertionem Docto-
 rum etiam excellentissimorum, quorum unus alterius fa-
 cilitatem sequitur, & secundum Jobi effatum errorem

imbibit sicut aquam, Consuetudo generalis & dispositiva neutquam probatur, sed plena & exacta probatio desideratur, quia est principale fundamentum intentionis. Barthol. in d.l. de quibus ff. de LL. Rochus de Curte in c. cum ianto. de Consuetud. n. 644. seqq. Quæ probatio fieri debet cum omnibus suis requisitis necessariis, de quibus supra actum fuit. Nemo omnium illorum Doctorum qui vulgo allegantur, rationes suæ scientiæ sufficienes reddere, nemo actuum frequentiam certa scientia & diuturna patientia totius populi Germaniæ, animoque & intentione inducenda consuetudinis generalis, uniformiter, siue ulla interrupzione celebratorum specifice allegare & indicare potuit. Quæ requisita tamen tanquam in facto consistentia, ad probatōnem consuetudinis dispositivæ, de qua consuetudinis specie in præsenti casu agitur, sunt necessaria. vid. Referens in votis Cameralibus apud Klockium. Relat. V. n. 204. & seqq. Quorum in proposito nullum reperitur. Quando autem allegata Consuetudo pro Notoria præsupponitur & onus probandi in Reum negantem transferre Actor tentat: hoc fundamento: Negationem rem dubiam non facere, si de contrario ex facto constet. Respondeo, Verum quidem esse, Reo, si negando aliquid afferit, onus probandi incumbere, non autem quando aliquid absolute negat, per ea quæ scribit late Don. c. 2. de probat. Atqui in proposito consuetudo ex facto non appetet, & non solum consuetudo, sed etiam Notorietas negatur & opponitur vicissim Ordinatio Serenissimorum Ducum Brunsvico-Lyneburgicorum, qua indefinite, abrogatis moribus Saxonici Juris, secundum Jus commune Romano-Cæsareum causas decidi jubetur, juxta quod filia per Nuptias a patria potestate non liberatur; consequens fane erit, quod Actor tanquam affirmans & exceptionem pro-
po-

ponens, affirmationem, sive exceptionem a regula probare teneatur. Juris enim est, affirmanti, & non neganti, incumbere onus probandi *l. i. & passim tot. tit. ff. & C. de brobat.* Et qui allegat exceptionem a regula, illam utique probare tenetur. *per l. i. ff. ubi late Dec. ff. de R. J.* Quod si non faciat, perinde est ac si allegata non fuisset. *Alexand. conf. 7. n. 20. lib. 2.* Quia etiam Reus regulam, nempe Ordinationem Provincialem, pro se habet, jus liquidissimum habere dicendus est. *per text. in l. quoties ff. si quis caut. in judic. sist. caus. fact. non obtemp. ubi Baribol. & Dec. & l. i. ff. de R. J.* Secundum quam in dubio semper est judicandum. *Bald. in l. si tutor. in fin. C. de serv. pugn. dat.* Nam regulæ inhærere semper tutissimum, donec contrarium manifeste probetur *l. ab ea parte ff. de probat.* In tantum, ut qui allegat exceptionem, teneatur probare legem, qua cavetur regulam non habere locum per allegata *Cravettæ cons. 25. n. 8.* Allegatio consuetudinis contrariæ in hoc Ducatu, ut saepius dictum fuit, non relevat ab onere probandi, quia & hæc probari debet sufficienter; Doctorum dicta non probant eam. Multo-que errant qui non ostensa consuetudine auditis credunt. *Abb. in cons. 33. n. 4.* Errant illi quoque, qui Famam notorium facere, putant; Notorium enim nullum est, nisi quod palam ex rei evidentia apparet. Et qui potest fama notorium facere, cum sit tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri. Ostendant afferentes Notorietatem generalis consuetudinis totius Germaniæ, Actus ad probandam eam Notorietatem sufficientes; ostendant, Sententias Imperiales, aut quod in Scripturam Imperialem publicam cum consensu Augustissimi Imperatoris Statuumque Imperii sit redacta. Doctorum testimonia necessariis requisitis non adminiculata, consuetudinem ge-

neralem minime probant, nec Judicem certum faciunt ad sententiam concipiendam. Quia in facto etiam peritissimi errare possunt d. cap. 1. de constit. in 6. Quin imo ne quidem Principis assertioni creditur, in iis quæ in facto consistunt. *Purpurat. conf. 577. n. 9. Klock. de contribut. cap. 20. n. 443.* Et in specie, ne quidem ipsi Imperatori quid historice asseveranti stari innuunt. *Gilkenius part. 3. cap. 3. n. 198. & seq. de prescript. Job. Gryphiander tract. de Weichbild. Saxon. cap. 55. n. 1.* Quamvis enim laudatissimus JCtus *Vultejus conf. 21. Marpurg. vol. 3.* afferat, Doctores juridicæ Facultatis non tantum juris communis, sed etiam Confuetudinarii peritissimos esse: Ultimum tamen creditu difficile est, cum Pontifex Romanus, qui alias omnia jura in scrinio pectoris gestare dicitur, lumbens fateatur, se statuta particularia ignorare. in *cap. 1. de constit. in 6. August. Moral. in empor. jur. P. I. tit. I. num. 24. Bald. conf. 44. lib. 2.* Quoties vero clarissimi Juris Consulti Germaniæ errarunt in afferenda observantia aut Confuetudine Germaniæ? In circulo Saxoniarum jus Saxonum obseruari ait *Franc. Pfeil. conf. 77. n. 14. & conf. 160. num. 8.* Sed hoc ignoravit alioquin doctissimus JCtus, quia Marchia est in circulo Saxoniarum, nec tamen jus illud obtinet. *Pruckmannus conf. 1. n. 497. vol. 2. Jurga. Valent. Winther in Parthen. litigios. lib. 1. cap. XI. n. 21.* Pergit hic: Pomerania est in circulo Saxoniarum, nec tamen observat jus illud, praesertim quod simultaneam investitaram, vti putarunt, sed ignorarunt *Ingolstadienses JCti. tom. 3. conf. Germ. 22. n. 54.* id quod animadvertis Goedd. vol. 3. *conf. Marpurg. 32. n. 185.* Totius Germaniæ decus *Vladericus Zafus, Jurisdictionem Judicii Rotwilenis per totam Germaniam extendi docuit in L. jus dicentis ff. de jurisdict. omnium Judicum, tamen districtum ejus ultra Suevicum,*

Au-

Austriacum & Rheni circulos, quos tamen nec universos, sed partes quorundam tantum complectitur, non extendi ostendit. *Tobias Baurmeister. in tract. de juribus Imperii Romani lib. 2. cap. VII. n. 12.* *Job. Frid. Rhetius in Instit. Juris Publici. lib. IV. tit. 5. §. 2.* Igitur erravit JCti Zasii attestatio de iure totius Germaniae. *Hermannus Vultejus*, vere majorum gentium Doctor, dixit consuetudinem universae Germaniae esse ut Ducatus vel Comitatus dividantur, *in tract. de Feudis. l. 9. n. 42.* At eum erراسse docuit *Ernestus Cothmannus Part. 5. Respons. I. num. 65. 66. seqq.* Johannes Fichardus, Consuetudinem generalem totius Germaniae dixit, quod Fœminæ in Feudo empto succedant *conf. 17. vol. 1.* At opiniones Dd. sibimet contrarias detegit *Garzon. de Fœm. ad Feud. recip. n. 71.* & *Guerin. Pison. Soac. in prælud. Feud. cap. 31. n. 6. seqq.* Famigeratissimus JCtus Gailius scripsit, a Sententiæ Imperatoris juxta aliorum relationem pronunciata, de consuetudine appellari non posse. *lib. I. obs. 155. n. 6.* Verius tamen esse a sententia tali appellari posse *Hipp. Riminaldus docet conf. 13. n. 31. c. biduum 2. q. 6. & l. 1. pr. ff. quando appell. sit.* Quid? quod *Joann. Dauth. exemplum in contrarium adducat*, Serenissimos Duces Brunsuicenses Henricum & Wilhelmum, gloriose memoriae, in causa inter ipsos ab una & civitatem Magdeburgensem atque Hamburgensem ab altera parte, Anno 1569. Mense Augusto, a Cæsare male informato, ad ejus Majestatem melius informandam provocasse. *Dauth. de testam. n. 16. f. m. 68.* Idem Gailius statuit, jus retractus gentilitium ex generali consuetudine Germaniae ubique locum obtinere. *Lib. 2. obs. 191. num. 1.* Quod & celeberrimus *Mynsgerus afferuit lib. 3. obs. 51. n. 1.* At Doctoribus de consuetudine attestantibus simpliciter credendum non esse. Et singularium Provinciarum,

con-

consuetudines extra suam provinciam, ad derogationem
 juris communis neutquam extendendam esse probavit
JCtus Klockius Vol. 2. conf. 42. n. 99. 100. & 101. Plura
 exempla adducere possem Clarissimorum Doctorum,
 qui in afferenda generali aliqua Germaniae consuetudine
 & jure insigniter erravere. Sed pluribus non opus esse
 puto, cum ex his pateat, Doctores etiam prudentissi-
 mos, in iis, quæ facti sunt, falli posse. Quamvis enim
 Juris scientia emineant, Facta tamen ad Juris Consulto-
 rum artem legumque peritos non pertinent, nec omni-
 scii sunt, sed homines, quorum conditionem excedit
 omnium Ducatum, Comitatum, Provinciarum, Con-
 stitutionum, Sanctionum, Placitorum, contradictionum,
 Pronunciatorum, Consuetudinum, Actuum ad consuetu-
 dinem afferendam sufficientium numerum, eorumque
 requisitorum, perfectam cognitionem habere. Qui
 autem Viros magnos & magna laude præstantes in
 his errare potuisse negat, is nimis splendide de hu-
 mana conditionem sentit. Qui etiam, si quid ab
 eis erratum notetur, maledicentiae vitio nimis fiden-
 ter adscribit, videat, ne suæ socordiæ & stupiditatis
 aut partium studii, a tantorum virorum excellentia præ-
 fidium quærat. Addo, quod certi juris sit, duorum spe-
 cialium circa idem concursus fieri non posse. *in l. i. verb.
 dotem. circa fin. C. de dot. promiss.* Duo exorbitantia quo-
 que in una eademque re minus toleranda sunt. *Bald. conf.
 275. n. 9. vol. 2.* At si Doctori de consuetudine pronun-
 cianti fidem habemus, tria singularia & exorbitantia si-
 mul evenient, *primum*, ut testi singulari fides adhibeatur,
alterum, ut testi in scriptis testanti credatur, *tertium*, ut
restimonium non citata neque audit a parte altera probet,
quæ omnia legibus vetita sunt. Corbmannus lib. V. Respons.

I. n.

1. n. 452. Neque relevat, si diceretur, hæc procedere de unius Doctoris testimonio, secus vero se rem habere, si duo pluresve Doctores de consuetudine attestarentur. Nam distinctio illa nulla lege probatur, imo juris rationes, quæ unius Doctoris testimonium in Consuetudinis probationem non admittunt, etiam in plurium Doctorum assertione locum habent, quemadmodum ex *Baldo, Joanne de Imola, Alexandro & Jasone probat Alciatus Respons.*
 251. n. 9. quem refert ac sequitur *Cothmannus d. Respons.* 1. n.
 454. vol. 5. ubi insuper Constantini Rescriptum allegat, in quo præcise definitum est, testibus quantumvis præclaræ Curiæ honore conspicuis fidem non habendam, nisi sub jurisjurandi Religione deponant. *L. jurisjurandi C. de test.* Inde sequitur, quod doctoribus de facti causa testantibus non possit, neque debeat credi, nisi jurato deponant. *In terminis respondit Phil. Decius conf. 402. n. 15. Bertrand. conf. 159. n. 44.* Et supra ostendi Doctores præclaros & experientes nihilominus in consuetudine asserenda deceptos esse. Quid vero est periculosius quam tam anceps probandi genus in judicium invehere?

His præmissis ad Doctores a parte adversa longa serie citatos me vertam, Dominique Contradicitoris vestigia *narrā nōdā* sequar. Agmen dicit exasciatus ille JCtus **VLDARICVS ZASIVS**, qui in *L. utrum turpem ff. de V. oblig.* n. 4. ubi tractavit quæstionem, an Pater ob emancipationem possit aliquid pecuniae capere? scripsit; *quod in nostra Germania, forma emancipationis non servetur ad unguem, sed ipso facto emancipentur liberi, cum propriam familiam habere permittantur, unde non eset injustum a filio aliquid petere, cui fieret talis gratificatio. Hæc sunt ipsissima Jcti Zasii verba.* An vero ex iis elici possit Zasium asseruisse in universa Germania moribus receptum esse, ut

filia per nuptias a nexibus patriæ potestatis liberetur, valde dubito, nemque, nisi partium studio occupatus, id dixerit. In nostra Germania, inquit Zasius, ipso facto emancipantur liberi, cum propriam familiam habere permittuntur. Quid? si scripsisset, in nostra Germania vigere Jus Saxonum, obtinere in successione bonorum prærogativam Geradæ; Parentes defuncti excludere Fratrem & Sororem etiam utrimque conjunctos; Vxorem sine consensu mariti bona sua donare non posse; Bona avita immobilia sine consensu heredum non alienari &c. Quæ omnia juris sunt Saxonici. In his omnibus verum dixisset. An vero inde sequi deberet, per universam Germaniam jus Saxonum vigere? Aliud certe est dicere in Germania fieri emancipationem cum liberi propriam familiam habere permittantur i. e. quando nuptias contrahunt; hoc conceditur, si ita sensus sit; in Germania esse loca, ubi mos talis oblineat. Longe vero aliud est, statuere, per totam Germaniam fieri emancipationem per nuptias. Quod absolute negatur. Sed, posito, in præjudicium tamen veritatis neutquam concessio, Zasium afferere voluisse in tota Germania consuetudinem illam vigere, Zasii testimonium tamen, ipso Zasio teste, corrueret, qui in commentario ad L. de quibus ff. de Legibus statuit, Doctori consuetudinem aliquam attestanti non esse fidem habendam. tot. tit. ff. quod quisque juris. Sequitur Jcti SICHARDI testimonium, Hic ad L. 29. n. 15. & 16. C. de jure dotium notanter scripsit, quod filiae etiam nuptæ, si habeant Patres, nec possint facere testamenta, nec etiam codicillos l. pen. & l. senium ff. qui testam. facere poss. etiamsi pater consentiat huic filiae L. qui in potest. ff. de testam. Sic etiam, pergit, jure Romano, non possent illæ filiae, si adhuc sunt in patria potestate, donationes facere mortis causa, nisi consentien-

ti-

tibus parentibus *l. tam. is §. fin. ff. de donat. mortis causa.* Et ita, addit, jure Romano (quo utimur in Ducatu Brunsvicensi) quod filiae nuptæ manent in patria potestate, non est magna dubitatio. Sed majus, scribit, est dubium de jure Longobardorum, quo jure filiae nuptæ exeunt e potestate patris, & subjiciuntur potestati maritorum, quod jus Longobardorum Joannes Faber dicit per Galliam servari. Denique subne^ctit; *nisi me fallunt plurime conjecturæ*, servatur etiam hoc jus Longobardorum in Germania, ubi video, nuptas habentes parentes, *multa perinde agere ac si non habeant parentes*, quia in judiciis comparent, cum voluntate maritorum testantur, & alia omnia agunt, ac si essent subditæ maritis & potestas maritorum successisset patriæ potestati. Sed de isto jure Longobardorum, & forte etiam moribus Germaniæ uxor est in potestate mariti. *Hæc Sichardus.* Qui de jure Longobardico in Germania (in locis ubi mores illi recepti,) introducto loqui videtur, & quidem valde dubitanter, *nisi me fallant*, inquit, *plurime conjecturæ*; quid si falleretur? Modeste scribit, forte etiam moribus Germaniæ uxor est in potestate mariti. Qui autem dubitat & conjecturatur, nihil certi statuit, & ab ignorantie non distat *l. 22. §. fin. C. de furt. Bartol. in l. admonendi ff. de jurejur.* Hinc dicitur, quod testis dubitans nihil probet cap. in præsentia, de probat. Nec ex eo, quod Sichardus scribit, se vidisse filias nuptas in judicio comparere, ac si nullos habuissent parentes, concludendum, quod a patria potestate essent liberatae, quia consentientibus patribus id fieri potuisset, in quorum arbitrio positum de jure suo aliquid remittere. Interdum etiam filia secundum jus civile, ignorantie vel invito patre, agere potest. Imo potest pater quandoque cogi, ut consentiat agenti filiæ. *gloss. ad l. fin. §. 1. C.*

de bon. quæ lib. Deinde in iis causis, quibus patri nihil queritur, recte in judicio in rem suam comparet absque Patris consensu. *Dec. ad l. 4. C. de procurat. vid. Zanger. L. 2. cap. 8. de Except. n. 4. Brunnemann. ad l. 4. C. de procurat.* Et ob comparitionem maritatae, in judicio, non dici potest, eam a patria potestate esse liberatam. Quod vero ex eo vult conjecturare, Nuptam a patria potestate esse liberatam, quia vidisset, nuptas cum voluntate Maritorum testamentum ordinasse; de more Saxonico eum loqui mihi videtur, Nam ante constitutionem Novellam Elect. Saxon. nonnulli Dd. *Articulum XXXI. lib. 1. Landi Rechts/* ubi habetur, quod uxor, constante matrimonio dissentiente marito, non possit donare aut alienare bona in præjudicium mariti, etiam de Testamentis & ultimis voluntatibus intelligendum esse putarunt. Interim Sichardi conjecturæ non probant, *in tota Germania* filias nuptas a patria potestate liberari, *nec hoc statuit Sichardus*, sed dicit; *in Germania servari jus Longobardorum* quia vidisset nuptas, habentes parentes multa (non omnia dicit,) perinde agere ac si non habuissent parentes. In Germania fieri recte dicitur, quod in illis Provinciis Germaniæ fit, quæ jure Longobardico aut Saxonico utuntur, Ex eo autem inferri nequit illud, quod in Germania fit, in omnibus Germaniæ locis fieri. Absurde ita colligeretur. Aliud ergo est aliquid fieri in Germania (in quibusdam scil. locis Germaniæ;) aliud vero, hanc vel illam Provinciam aut Ducatum esse de illis locis Germaniæ, ubi id fit. Id ipsum per se sua lucce perspicuum, ac clarum est, ut maiorem facem adhibere omnino non sit opus. Succedit HERMAN-NVS VVLTEJVS. Hic ad §. fin. *Instit. de Patria Potest. n. 3.* scripsit, ex moribus Germaniæ certissimum esse patriam potestatem per nuptias tolli, unde Germaniæ

nisi

nis Freyen dicerentur, qui matrimonium inirent. De infirmitate hujus argumenti in superioribus satis actum fuit, quo me refero. Certo autem certius, imo certissimum est, consuetudinem universæ Germaniæ probatum non esse per affirmationem Vulteji, eminentissimi quamvis JCti, quod ex præcedentibus patet. Nam *ubi jus Romanum receptum, & secundum ejus sancta Magistratus a Supremo territorii Principe pronunciare jubetur, necessario probari oportet, contrarium consuetudinem servatis servandis esse introductam*, quia consuetudo est facti, ideoque probanda l. 22. l. 34. ff. de LL. uti saepius dictum fuit. Nec facit, quod dicatur jus, quando enim consideratur a principio, quatenus ex actibus inducitur, facti est, sed postquam in esse inducta, tum demum fit juris. arg. l. si unus 27. §. pactus ne peteret. 2. ff. de pact. Quomodo autem consuetudo sit probanda patet ex Minsing. Respons. 12.n. 23. Ea saepè prudentissimos fallit, Vultejumque etiam ipsum fecellit. Nam *ubi jus Romanum in Constitutione Summi Principis Territorii indefinite preceptum fuit, exceptio contra ordinationem erit probanda*. Quia contrarium effectum non debent operari inducta ad unum finem. L. 2. ante fin. C. de juram. calumn. Card. Tuscb. tom. 2. litt. C. conclus. 1010. per tot. Et contraria simul esse non possunt. L. 30. ff. pro soc. Insuper Vulteus jam ultra quinquaginta annos diem obiit, mortuorum autem JCtorum Scriptis de consuetudine attestantibus fides non tribuitur. Grid. Turrian. conf. 5. n. 40. lib. 3. varior. Bapt. Cæsar. Klock. de contrib. cap. V. n. 444. Quia consuetudo mutationi obnoxia, factique est transeuntis, non permanentis, & modo alba, modo nigra apparet. Hostiens. in proxm. summa sue in jus Canon. Ludovicus Rom. sing. 367. Fichardus conf. XII. n. 10. lib. 2. Quid autem perniciosius esset, quam istiusmodi consuetudini

per Doctorem unum aut alterum assertæ, per alium vero negatæ, ac modo albæ, modo nigræ, inhærere ac confidere? Nec verisimile est JCtum Vultejum notitiam habuisse omnium locorum Germaniæ consuetudinis. Quod autem verisimile non est, falsitatis habet præsumptionem *l. fin. ff. de eo quod met. caus.* Et propterea, ubi dicitur de consuetudine aliquid servari, licet glossæ, vel Doctores mortui id dixerint & asserverint; eam tamen consuetudo probari debet, si est contra jus commune in illo vel illo loco receptum. *Alex l. post. dotem. n. 29. 30. ff. solut. matrim. Decius conf. 142. n. 5. Cephalius. lib. IV. conf. 709. n. 31.* Et quidem plene & sufficienter, non præsumptive ostendi & demonstrari debet, præsertim si consuetudo in vim actionis vel exceptionis proponatur, atque ita ad causæ decisionem pertineat. *Bartol. in l. 2. n. 31. C. quæ sit longæ consuet. Rol. a Valle conf. 53. n. 32. vol. 2.*

Quam sæpe autem aliquis excellens Doctor aliquid asserit, quod non satis compertum habuit? Huic confessum subscriptit aliis non minoris autoritatis Juris-Consultus; Mox aliis huic fidit; Quos deinde turba sequitur, & fit error multorum, qui lapsus unius alteriusve fuerat. Idem accidit in asserenda consuetudine totius Germaniæ quoad liberationem filiæ a patria potestate. Eminentissimo JCto Zasio aliquid de consuetudine in Germania excidit; Sichardus, ejus Auditor, de ea conjecturavit; *Vultejus* sibi eam persuasit & fidenter nimis asservit. Mox alii atque alii, sine ulteriori inquisitione, quæ ab his tribus magni nominis JCtis scripta, aliis tradiderunt, illi iterum aliis, & ita deinceps. Non secus ac olim in palestris, primus cursu defatigatus, lampada sequenti dedit, & ille alii, uti loquitur *Zasius lib. 2. singular. respons. cap. 1. n. 32.* Evolvi sedulo omnes pro consuetudine asserta a

par-

parte adversa longo ordine citatos Autores, & plerosque omnes, si non ex Juris Saxonici Interpretibus, pro afferenda Consuetudine de qua quæstio est, testimonia congesta, semper tamen vel ad *Zasii*, vel *Sichardi*, vel *Vultejii* suffragia, aut eorum autoritatem qui in iis se fundarum, provocasse inveni. *w v R M S E R V S* allegatus *Lib. I.* *præc. observat.* 3. non dicit, quod vigore consuetudinis totius Germaniæ filia nupta transeat in potestatem solius mariti, sed remanere quoad privilegia patriæ potestatis, in potestate parentis. *H E R I N G I V S* in tractatu suo *de Fidejussoribus* cap. 7. n. 622. sequitur *Vultejum. B E S O L D V S* *conf. Part. 4. conf. 151.* citat. *Schurffum & Wesenbecium* *J Ctos Saxonicos*, & in lib. *Polit. I. cap. X.* de tribus domesticis societatibus sequitur *Zasium in d. l. utrum turpem ff. verb. oblig.* at videatur *Besoldi thesaurus*, n. 49. in voce *Freyen/* ibi, posteaquam pro confirmanda sua sententia *Vultejum quoque §. 2. Inst. de Patria potestate* n. 3. & *Saxonicos J Ctos* *allegavit*, addit: Verum de jure Civili nuptiæ non sunt modus dissolvendi patriam potestatem, imo manent, licet nuptiæ sint filiæ, in patris potestate per. *I. I. §. 2. I. 29. ff. solut. matrim.* Et in additionibus ad *Besoldi thes. I. 49. D. Dietberr.* scribit; jure & cosuetudine Gallorum, Burgundorum & aliorum Nuptiæ contractæ solvunt patriam potestatem, in Germania vero nostra perpetuum id non est, quod patet *ex Reformatione Norica tit. 26. l. 25. §. 1. T R E V T L E R V S. I. I.* *disp. 2. tb. ult.* allegat *Zasium* *Dn. H A H N. ad Wesenbec. tit. de adopt.* n. 7. scripsit per totam fere Europam consuetudine inductum, hodie filium pro emancipato haberi, si uxorem ducat. Addit autem *perpetuum hoc non esse*; quod recte notasset *D. Ludwell. ad inst. disp. 2. tb. ult. lit. C. & D. Franzkius ad L. Gallus ff. de liberis & postib. n. 15. & seqq.* *E O C E R V S* in class. P. I. *disp. 13. tb. 22.* dicit de moribus mul-

multorum, etiam Germanorum, quod nos non negamus.
B R V N N E M A N N V S in L. si ex alio 9. C. quod cum eo,
 recenset *Zasium & Vultejum*. Idem Brunnemannus, *JCtus ille*
Sincerissimus in cons. XXXVIII. num. II. mentem suam candi-
 de explicat sequentibus: es ist in den gemeinen Rechten wel-
 verschen / quod filiafamilias, etiam nupta, de dote vel bo-
 nis maternis testamentum facere non possit; Licet au-
 tem, pergit, quidam Doctores per nuptias emancipari
 filia putent, quos recenset *Carpzovius Part. 2. const. X.*
Defin. 2. Ii tamen loquuntur de jure Saxonico, partim
 autem intelligunt, si emancipatio utilis filiae. *Huc usque*
B. Brunnemannus, ubi etiam n. 13. docet, quomodo utilitas illa
debeat considerari. **S C H N E I D E W I N V S** ad §. fin. *Instit.*
quibus modis jus Patriæ potest. solvitur, docet, de jure Saxo-
nico mulierem per nuptias venire in tutelam mariti, de
jure ciuili vero manere in potestate parentis, nam secundum
ius civile Romanum, matrimonium non esse modum sol-
vendi jus patriæ potestatis. **G I L K E N I V S**, *de prescript.*
Par. 3. c. 3. n. 31. loquitur de consuetudine multorum loco-
 rum & in specie. *n. 36.* de jure Saxonico. Et *Vultejum* comme-
 morasse dicit, matrimonium nedum in *Saxonia*, sed etiam
 generaliter moribus Germaniae jus patriæ potestatis dissol-
 vere. Ipse vero nihil de ea affirmat, hoc tantum *n. 38.* dicit,
Consuetudinem illam non esse universalem, Denique n. 357.
enarratis multis Doctorum sententiis, sibi invicem contra-
riantibus monet: assertioni nedum unius Doctoris, sed etiam
multorum de consuetudine constituenda, non esse fidendum, te-
mereque Doctores facere, qui, quod ab uno allatum sit de facto,
quod tamen prudentissimos fallere soleat, pro certo & constante
confirment. **M E V I V S** ad *jus Lubec.* lib. I. tit. 3. n. 24. *He-*
ringii, ad Vulteji commemorationem se referentis, Et Gilkenii
fide inititur, qui quidem d. Parte 3. cap. d. 3. n. 30. statuit, Con-
 ju-

jugium patriam potestatem non submovere, quamvis in
 multis moderationem inducere soleret. REVSNERVS lib.
 I. decis. X. n. 9. loquitur de jure Saxonico & dicit, quod uxo-
 ratus filius jure municipali, fere pro emancipato habere-
 tur. Allegat ad id, textum lib. I. **Land-Recht** artic. 3. &
 5. & **JCTum Saxonicum** D. Zobel. de quo infra videbimus.
 FRANZKIVS ad L. Gallus disp. I. membr. 3. n. 19. non exi-
 stimo, inquit, consuetudinem quandam generalem totius Ger-
 maniae inveniri, qualibet per nuptias a patria potestate libe-
 rentur; prævia allegatione Zafii, qui de moribus Germano-
 rum id testaretur, dicit, communem Doctorum jactantiam ad
 consuetudinem illam verificandam non esse sufficientem. Jure
 civili autem certum esse, nuptias patriam potestatem non
 dissolvere, neque in persona filii, neque in filia. **Hec**
 Franzkius d. l. n. 15. 20. & 21. Insuper ab Antagonista
 citatur MOLLERVS ad Ordinat. & constitut. Saxon. Ille
 loquitur de Ditionibus Electoris Saxoniae, & Zafum ut &
 Sichardum refert, qui morem illum, quod liberi a patre
 separati pro emancipatis haberentur, affirmarent, quod
 in utramque partem disputaretur. Tandem vero cum
 Baldo in l. si uxorem 5. C. de cedit. insert. Statuit, scemi-
 nam secundum jus commune patris in potestate manere
 præterquam in certis casibus a Baldo relatis. KZELIVS
 in *Synopsi Matrimoniali cap. VII. tb. 8.* docet, uxorem de ju-
 re Justiniane constante etiam matrimonio, manere sub
 potestate Patris, de jure vero Saxonico uxores per matri-
 monium transirent in potestatem & curam mariti, allegat
Land-Recht lib. I. Artic. 31. Emancipationem vero per
 matrimonium hodie per totam Germaniam fieri, testa-
 retur Mollerus item Sichardus, dissentientes quoque non
 reticet. **JCTI ARGENTORATENSES in colleg.** Ar-
 gent. ad Pandectas. lib. I. tit. VII. minime vero afferunt,

K

con-

consuetudine generali Germaniae filiam per nuptias libe-
rari a patria potestate, sed ita dicunt n. 106. Moribus &
Statutis municipalibus, *multis in locis* receptum esse, patri-
am potestatem solvi contractis nuptiis. Quod ipsum ve-
ro pugnaret cum jure civili. **G V D E L I N V S**, *Anteces-
tor Academiæ Lovaniensis, de jure novissimo lib. I. cap. 13.* lo-
quitur de more *Belgarum*, dum scribit: insuper Nuptiæ
liberant (de Belgis sermo est,) a patria potestate.
R A V C H B A R lib. 2. qu. 18. n. 24. scribit; jure Saxonico,
adeoque totius Germaniae consuetudine, matrimonium fi-
liae pro emancipatione habetur. Sententiam suam con-
firmare nititur per *Artic. 13. Land-Recht lib. I. item per
Constit. Elect. 16. p. 2.* Quasi vero Jus Saxonicum consue-
tudinem totius Germaniae probaret. Magis absonum, quod
ad testimonium *Antonii Tessauri*, Ducum Sabaudiæ Consi-
liarii, qui decisiones S. Senatus Pedemontani collegit, pro-
vocat; ille in rationibus dubitandi dicit, filiam per ma-
trimonium transfire in potestatem mariti. *n. 5.* vero plane
contrarium secundum jus civile statuit. & *n. 7.* inquit,
quod filia nupta vivente patre testari non posset, quia es-
set in patria potestate. Collector communium opinio-
num, **M I C H A E L G R A S S V S** quem **D. Rauchbar** pro sua
sententia adducit, §. *testamentum q. 23. n. 3.* contrarium
ostendit. **Z O B E L I V S** in suo comm. ad **Land-Recht**
lib. I. Artic. 31. Antagonistæ minime subvenit, imo con-
trarius est. Nam ibi scribit, licet uxor in jure Saxonico
sit in tutela vel cura mariti, tamen hoc non ita est verum
de jure civili. Et quantumvis, pergit, mulier nuptui
tradita, sive maritata, sub tutela sui mariti esse dicatur:
non tamen per hoc eximitur ex potestate patris sui. Quia
jus commune in hoc manet incorrectum, quoad o-
mnes effectus patriæ potestatis. *Hæc ex Zebelii addit. ad*
Land-

57 (20)

Land-Recht lit. F. fol. m. 314. SCHVRFFIUS conf. 80. n.
3. cent. I. differit de cura mariti secundum Jus Saxonum.
Et conf. 20. n. 19. cont. 3. loquitur de moribus Saxonis, non
vero de consuetudine Germaniae generali. BARO
ENENCKEL in tractatu de Privilegiis Parentum & Libero-
rum. L. I. cap. X. agit de sententia Baldii & Bartoli, qui in
l. post mortem ff. de adopt. scriberent, sufficeret ad Emanci-
pationem, si constaret, filium per decennium ut patremfa-
milias egisse, quod quidem hodie plerisque in locis Im-
perii invaluisse. Et eodem cap. n. 14. negat, per nuptias
simpliciter patriam potestatem finiri. Vbi vero matri-
monio vim emancipationis tribuit, ibi loquitur de jure
Saxonico & allegat jus Saxon. & Leges Magdeburgicas, quas
Wetzbild appellant. Et cap. XII. mentem suam clare
explicat; quidam, inquit, recentiorum Doctorum arbi-
trantur Matrimonio solvi Patriam potestatem, in contrari-
um tamen eunt, pergit, expresse jus civile, & plerique juris
Interpretes, a quibus, dicit Baro Enenckel, nec ego dissentire
possum, quin liberos, nisi Emancipatione, vel alio modo
Legibus sancito, sui juris facti sint, aut Consuetudo certa
& recepta aliud jubeat, in Parentum magis quam conju-
gum potestate esse dicam. Postquam vidimus, Baro-
nem Enenckel, sententiæ adversæ partis plane contrari-
um esse, ad Dn. FRIDERICI BECKMANNI opinio-
nem a Dn. Antagonista deprædicatam, me vertam. Ille in
Dissertatione de Legibus & Statutis cap. XI. J. C. T. Vultejus tradi-
tionem ad §. fin. Inst. quibus modis patria potest. solv. am-
pleteatur, Schurssium quoque & Wesenbecium, J. C. T. O. S. Saxonico-
cos, allegat, ut & J. C. T. O. G. O. F. R. E. D. V. M. de Jena ad SC.
Macedon. Sect. 3. aphorism. 6. n. 4. qui ad Hermannum Vultejum,
Zafium, Gilkenium, Antonium Hering, Mollerum, Schneide-
winum supra memoratos, se refert, qui dixissent, mori-
bus

bus & consuetudine Germaniae receptum esse, contracto matrimonio patriæ potestatis nexum dissolvi. Quid istorum traditiones probent, ex iis, quæ supra ostendi, apparabit. Jure civili tamen certum esse, inquit, matrimonium liberorum, modum patriæ potestatis jus solvendi, haud esse. Sequitur ergo in illis locis, ubi jus civile introductum, non probata locali consuetudine contraria, secundum id judicandum esse. *GAILIVM quoque lib. 2. obs. 31. n. 17.* item *MYNSINGERVM centur. VI. obs. 41. n. 16. laudat.* Verum enim vero *Gailius d.l.* ne verbulum quidem de consuetudine Germaniae emancipandi liberos per matrimonium, emisit, sed loquitur de notoria aliqua consuetudine, quod illa non opus habeat probatione. Hoc conceditur, ad hic abest Notorietas. *Mynsingerus quoque non dicit,* consuetudinem generalem in Germania esse liberandi liberos per nuptias a patria potestate, sed loquitur de probatione alicujus consuetudinis, quomodo ea fieri debeat. Cæterum D. Beckmannus primario se fundat in *TABORE JCto*, qui in *tractatu suo de repetit. & privilegio Dotis thes. 3. lit. B.* docuisset, Filias per nuptias solvi a patria potestate. At *Tabor Vultej* autoritate nititur, eujs assertionem *ad d. §. fin. instit. de nuptiis* allegat, provocat quoque ad *constit. Elect. Saxon.* Addit, emancipationem filiarum per nuptias fieri propter rationem in *Recessu Imperii Anno 1548.* Vom Sacrament der Ehe §. darinn / expressam ibi: *Dann der Väterliche Gewalt dieser Vereinigung des Bestandes von Rechts wegen weichen muß.* Tanti JCti celebrimum nomen merito veneror, loquenti omnis inclinatio & submissio debetur, excepta Judicii. In *Recessu, Imperii de Anno. 1548.* ab omnibus Statibus recepto, hæc verba non leguntur: in *Resolutione vero Divi Imperatoris Caroli*

V.

V. eodem anno in Comitiis Augustanis proposita (in det
Käyserl. Erklärung wegen der Religion zu Augspurg
anno 1548. aufgerichtet) Artic. XXI. inveniuntur. Hic at-
tendendum ante omnia principium s.causa, quæ Imperato-
rem illo tempore impulit ut Declarationem dictam Stati-
bus proponendam duceret. Ea hæc fuit; Postquam inter
Cæfarem & Protestantes annis proxime præteritis instituta
Religionis Pacificatio magis atque magis labasceret, &
post Colloquium Ratisponense, de Religionis controversiis su-
ceptum, bellum in Imperio repullularet, Gloriosissimus
Imperator principaliter quietem Imperii intendebat, Ro-
mano-catholicæ Religionis causa, quæ fomes belli erat,
se declarabat, quomodo usque ad finem Concilii Tridentini,
(ad unius quidem Pontificis arbitrium, comparati,) Reli-
gionis Articuli per totam Germaniam servari deberent,
& ne quis interea alteri vim inferret, aut ulla ratione da-
mnum daret, sed pax quiete servaretur. Ergo non una
tantum particula legis proposita respondendum, imo lex
tota cum illius causa est perspicienda. l. 24. C. de LL. Sed
videatur Declaratio, vel Resolutio illa Imperatoria d. tit. XXI.
ibi, cum Imperator Carolus V. §. 8. ex Genes. cap. 2. v. 24.
retulisset; Relinquet homo patrem suum & Matrem &
adhærebit uxori suæ, in sequenti §. 9. Darum / dieweil
der Väterliche Gewalt &c. concludit. Man sol die nicht
hören / die zu unsern Zeiten wollen / daß die Ehe / oder
versprochene Heyraht / wiederum zertrennet werden / und
nicht gelten sollen / wo der Eltern Bewilligung nicht daz-
bey gewesen ist. Quibus verbis patriam potestatem ex ju-
re civili concessam non funditus abrogare, sed tantum in
eo minuere voluit, ut de necessitate consensus Patris in
contrahendis sponsalibus non requiri deberet, Idque di-
cere voluit: Non habita ratione sententiaæ Protestan-

tium; qui juxta juris civilis sancta, aut sub alio verosimili praetextu, ad matrimonium juste a liberis contrahendum, consensum parentum necessario requirendum esse, eoque deficiente desponsationes nullari debere, statuerent; Re secundum sacrum Dei Verbum. (*Imo Secundum Papales Traditiones,*) considerata, Sponsalia sine Parentum consensu contracta, etiam reclamantibus Parentibus, firma ac rata esse debere, eaque ita per Edictum Comitiale Cæsareum declarari, rataque ac firma esse juberi. Finis hujus Ordinationis hic fuit; Cavere, ne matrimonium, quod Pontificiæ Religioni addicatis (pro quibus Cæsar excubabat,) Sacramentum dicitur, ab hominibus rumperetur, quod fieret, si Sponsalia a liberis sine consensu Parentum contracta dissolverentur. Medium ad illum finem pervenienti fuit, si potestas nullandi sponsalia clandestina, Patribus adimeretur, quod illo tempore, Imperator per Edictum publicum Comitiale facere voluit. Extensiva vero interpretatio illius Edicti ad alia patriæ potestatis jura & effectus hic non obtinet; non enim verba, sed ratio & sententia legis tuenda, & qua mente Legislator quid dixerit animadvertisendum. *Paul. in l. pen. ff. ad exhib.* alias per verborum captationem circumventio legis fieret. Nam si ratiocinari velles; quia sponsalia sine Patris iussu, aut consensu a Filia contracta, secundum Declarationem Imperatoris Caroli V. non possent ab hominibus nullari, cum matrimonium haberetur pro re spirituali & Sacramento; inde sequi, Filiam matrimonium contrahentem ab omnibus effectibus, qui jure civili Patriam potestatem peculiariter & attributive afficiunt, salvoque matrimonio subsistere possunt, penitus liberari, ac proinde posse vivente Patre testamentum condere, codicillari, aut sine Patris consensu, et-

etiam in ejus præjudicium, mortis causa donare, absurde omnino colligeres; Et neganda esset consequentia, quia plus est inconclusione, quam fuit in præmissis. Inque iis, quæ colliguntur, abest adæquatio vel similitudo rationis, ob quam Lex illa fuit lata, legisque ratio cessat non solum in particulari, sed & in communi, ob quam & cessat ipsa legis dispositio; mutaretur status controversiæ, committereturque fallacia alienæ quæstionis & a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, contra Celsi JCti monitum. in l. 24. ff. de LL. Hucque pertinet elegans admodum sententia Augustini lib. 2. cap. 31. de charitate Christiana: Ex antecedentibus & consequentibus colligitur verus scripturæ sensus. Quicquid ergo nova lege non expressum, id veterum legum constitutionumque regulis relictum intelligitur. l. præcipimus. C. de appellat. sanctimus C. de testam.

Amplius Recessus ille Imperii, seu potius eiusdem ab Augustissimo Imperatore (ut ex Inscriptione s. titulo patet) facta DECLARATIO, quomodo Religionis causa in S. R. Imperio, donec Concilium Tridentinum (quod Anno 1546. fuit inchoatum,) finiretur, teneri debuerit, Protestantes non obligat, ut qui jam tum in Comitiis Augustanis Anno 1530. confessionem suam Pontificiorum traditionibus contrariam & a Statibus Protestantibus subscriptam exhibuerant. Imperator vero Anno 1548. Comitia armata ad augendum terrorem, celebravit, utque Principes Imperii concilio Tridentino se submitterent, & librum, INTERIM, sive formulam Religionis, (cui Edictum Imperatorum fuit conforme,) usque ad Concilii exitum servarent, mediante illa Declaratione imperavit. Cum vero nihil effectum, & tandem a Protestantibus Principibus ad bellum ventum esset, Ipse Imperator

tor Conventu Passavensi cunctis Augustanam confessio-
nem amplectentibus An. 1552. Pacem religionis concessit,
atque ita liber, **INTERIM**, & **DECLARATIO** Cæsa-
rea, in favorem Religionis Pontificiorum, instinctuque
Papæ Pauli III. (quamvis ea juris Canonici veteris plac-
tis minime esset conformis, *c. non omnis §. fin. 32. qu. 2.* &
c. aliter 30. qu. 5.) publicata, exspiravit. Hodieque in ter-
ris Augustanæ confessionis & Reformatæ Religionis,
quantum Parentum consensum in matrimonii liberorum
concernit, servari videmus jus civile & Pontificio juri,
quod liberis præbet peccandi materiam, & disciplinam
ac obedientiam Parentibus debitam tollit, plane nihil tri-
buitur. Ex quibus videre est, quam erronee Declara-
tio illa Imperatoris Caroli V. in Comitiis Augustanis pro-
mulgata (*que non magis Augustanæ confessioni addictos ligat*
quam cæteri Articuli qui in illa habentur von der heiligen
Öselung/ vom Sacrement der Priester-Weihe/ von der hei-
ligen Fürbitt und Auruffung &c.) ad probandum abro-
gationem patriæ potestatis per matrimonium, ex causa
inserta, quod matrimonium sit Sacmentum, contra
Protestantes allegetur. Qui, quamuis Conjugium esse rei
sacræ signum, & per illud adumbrari arctissimam con-
junctionem Christi Sponsi, & Ecclesiæ Sponsæ concedant.
Esse tamen actionem Sacmentalem proprie dictam, per
quam applicetur & obsignetur gratia renunciationis &
remissionis peccatorum, quod Sacmento proprie dicto
convenit, constantissime negant. De intellectu scriptu-
rae dicti; *relinquet homo patrem & matrem*, quam male ad
excludendum consensum Patris in contrahendo matri-
monio liberorum, quasi causæ matrimoniales exemptæ
essent a quarto Dei præcepto, a Pontificiis applicetur,
legi potest *B. Gerhardus tom. 7. de Conjugio cap. 1. n. 45. ut*
& B.

42) 81 (20

& B. D. Chemnicius in examine Concilii Tridentini, de clandestinis matrimoniiis. Part. 2. f. 438. quicquid reclamitet Syndodus Tridentina, quæ bruto fulmine ferit eos, qui affirmant, matrimonia a liberis sine consensu parentum contracta, irrita esse & parentes ea rata vel irrita facere posse. *concil. Trident. Sess. 24. in decret. de reformat. matrim. cap. 1.* Sed de his jam satis.

Confero me ad reliquos, ab Antagonista in sua nomenclatura recensitos, Autores. Videndus est JCtus HVNNIVS, quem pro se allegavit, ille vero totus contra ipsum est in d. tract. variar. resolut. lib. 1. tract. 3. qu. 35. per tot. ubi evincit, matrimonium non esse modum dissolvendi patriam potestatem. In fine addit, negari non posse, quin familiam, domicilium, forum & cognomen filia per matrimonium mutet; quoad reliquos vero effectus, patriam potestatem integrum, fartam testam manere, existimat. De consuetudine generali Germaniae plane nihil dicit. MUSCVLVS in tract. de Success. convent. class. 1. membr. 3. n. 24. dicit, quod hodie ubique fere, per matrimonium potestas patria in Germania dissolveretur. Quam assertionem probare nititur autoritate Sichardi & Vulteji. Insuper se refert ad scripta quorundam JCtorum SAXONIAE & generalitatem orationis per adverbium fere restringit. JOH. a SANDE in decisionibus Frisiorum lib. VII. tit. 7. def. 5. scribit, jure Romano s. communi, liberorum nuptiis jus patriæ potestatis nec imminui, nec solvi. At Frisiorum moribus liberos per justas nuptias e manu patris exire; ita enim loqueretur lex Frisica. lib. 1. Ordin. tit. 6. idem receptum esse apud Germanos testante Hermanno Vulteo, & Joanne Sichardo. MATTHIAS BERLICHIVS, JCtus Saxonicus, in Practicis suis conclus. XI. Part. 2. n. 31. scribit, moribus & consuetudine

L

dine



dine Germanorum receptum esse ut matrimonium sit modus solvendi patriam potestatem, testaretur *Hermannus Vultejus, Zasius & Sichardus.* Dissentire autem videtur *Pensoldus in addit. ad Colerum decis. 222. n. 2.* ubi notabile afferret exemplum. JOH. FRIED. RHETIVS in comment. ad *Instit. lib. I. tit. 12.* scribit, non in *Saxonia* tantum, sed & universali totius fere (restrictive loquitur,) Germaniae praxi invaluisse, ut per nuptias & separatae Oeconomiae institutionem liberi e potestate patris exirent. Provocat ad testimonium *Berlichii* qui ea quæ ex *Vultejo, Sichardo & Zasio* hausit, aliis iterum tradidit. *Wissenbachium, Frisium & Cetum* quoque laudat, qui in specie disp. ad *Instit. VI. §. 43. de Frisia* consuetudine testatur, addendo, in *Frisia* separatam Oeconomiam effectum emancipationis non habere. JOHANN FRANC. BALTHASAR in *Pract. resolut. tit. 3. Resol. 2.* refert *Zasum, Sichardum & eorum affecas.* FRIDERICVS PRVCKMANNVS in *conf. I. n. 12. & conf. 34. n. 96. tom. I.* loquitur de moribus in *Marchia Brandenburgica* receptis & singulari constitutione Electoratus provinciali, & dicit; moribus, quibus hodie in hisce terris utimur, obtinet: ut, separatio liberorum a mensa, domoque paterna, accidente potissimum matrimonio, nobis ad instar emancipationis sit, effectusque emancipationis omnes, ex se se producat. Quod ex jure *Saxonico*, quo ante haec tempora, in hisce quoque terris vivebatur, originem traxisse crederet. COLERV. in *decis. Saxon. dec. 222. Part. 2. n. 2.* non dicit uxorem de jure civili per hoc quod nubit marito, solvi a nexibus patriæ potestatis, sed loquitur n. i. de jure *Saxonico.* Additinator *Pensoldus* vero n. 2. allegat *Zasum in l. viirum turpem ff. de verb. oblig.* & addit, patriam potestatem in Imperio Germanico adhuc tueri & n. 12. scribit, quod liberi de jure

jure Saxonico a patria potestate liberentur per matrimonium. Et in tractatu de alimentis P. 2. cap. 3. n. 7. loquitur Colerus iterum de jure Saxonico, apud nos, scilicet Saxonico jure utentes, inquit, ex novissima constitutione, Patria potestas solvit, quando filius pubes factus proprium larem sibi constituit. const. Elect. Sax. X. P. 2. M A T T H Æ V S W E S E N B E C I V S inparat. ff. de his qui sui vel alieni juris. n. 3. item tit. de adoptionibus. n. 7. scribit, filias per nuptias in patris potestate esse desinere secundum Jus Saxonicum. JOANNES DAVTH. in tract. de testam. n. 158. ampliat. 8. statuit, de jure Saxonico, filiam per matrimonium a patria potestate liberari, tamen jure Romano filiam maritatem jure patriæ potestatis non eximi. R E F E R E N S in V O T I S C A M E R A L I B V S apud Klockium Relat. XIX. n. 55. scribit, non improbabiliter dici posse, filium per matrimonium sui juris fieri, de qua consuetudine Germaniæ attestatus esse Zasius in l. utrum turpem n. 4. ff. de V. O. Sichardus ad rubr. C. qui admitt. ad honor. poss eff. n. 7. Quæ Referentis opinio non satis est ad probandam generalem Germaniæ consuetudinem; talia vota enim, etiam si libro, quo decreta annotari solent inscripta, præjudicium sive exemplum non statuunt, dummodo sententialiter non sint concepta & pronunciata. Annot. Vincent. Franch. decis. 185. Bernhard. Greve in proœm. consid. conclus. Gailii. n. 73. Imo si talis sententia Cameralis extaret, (qualis haec tenus mihi non est visa,) ea tamen saltem procederet, quando sequentia requisita intervenis- sent, ut (1.) sententia illa esset definitiva, (2.) sit publicata. (3.) ut plures, ad minimum binæ, uniformes extent. (4.) quod contrariae non sint latæ (5.) quod abiissent in rem judicatam. Fab. de Anna cons. 61. n. 70. Communiter istæ tantum res judicatae consuetudinem arguunt, quibus

pronunciatum est, consuetudinem controversam, vel
 satis probatam esse, vel in loco observari, atque ideo
 secundum eam hoc vel illud fieri debere. *Anton. Butrius.*
in c. fin. n. 27. X. de consuet. Petr. Rebuff. de constit. Gall.
tom. 3. de consuet. & usu. Artic. 2. gloss. 3. n. 8. Laur. Kirchhoff.
comm. opin. centur. I. conclus. 54. Et si unica tantum sententia ex Camera Imperiali in praesenti controversia producta esset, (quod tamen non est factum,) ea tamen nondum controversiam definire posset, quia saepe Domini Assessores in Imperiali Camera a sententia ante in controversia aliqua lata, in simili casu decidendo recedunt, & quod saepius recesserint ex variis Mynsingeri & Gailii observationibus evincit. *Fichardus conf. 95. n. 9. vol. 2. & Cothmannus conf. 13. n. 129. seqq.* Igitur talia praejudicia non statim legis autoritatem habent. *Altiorfin. Acad. consil. LV. p. m. 267.* Nam & Rota Romana saepe solet rotare, ut proverbium est. *Arum lib. 2. decis. I. n. 65.* Addo, quod & a collectoribus Decisionum saepe nefandum in modum erretur, uti ab ipso Gilmanno factum, & originali inspecto prorsus diversam & contrariam sententiam compertam, adeoque Gilmannum manifeste falsi convictum fuisse testatur *M. Goldastus replic. pro Imper. cap. 12. f. 105. Conring. de Orig. jur. German. cap. 34.* **CASPER KLOCKIUS** tom. 2. conf. L XV. n. 14. solutionem patriæ potestatis per matrimonium minime afferit, refert tantum Zafii & Sichardi attestations, qui afferuerint, apud Germanos censeri liberos emancipatos, qui per nuptias paternum domicilium mutarent; requirit autem Consuetudinis huius probationem in verbis: n. 24. Zum Fall gleichwohl obverständene Consuetudo und das dieselbe im heiligen Reich approbiert / der Gebühr nicht zuerweisen wäre/ alsdenn hat der Vater mit seiner Kinder anerstorbenen

hennen bonis adventitiis, so viel derselben Rießung verüfft/
seines Gefalleus zu schalten/und ist davon jemand Rechnung
zu thun nicht schuldig. **HVL DARICVS EUBENIVS**
ad lib. I. Inſtit. tit. XII. obſervat. 12. minime statuit patriam
potestatem per matrimonium liberorum dissolvi, nec
ait generalem Consuetudinem in Germania receptam
esse, qua filiae nuptiis emancipentur, sed scribit, id *Här-*
prechtium. ad §. Inſtit. de patria potest. (qui Zasium allegat &
*Sichardum,) testari, citat quoque *JCtos Marpurg. vol. I. conf.*
26. n. 160. qui loquuntur de jure Saxonico. At videatur
Marpurg. conf. 42. vol. IV. n. 102. ibi ad allegationem eman-
cipationis per nuptias & separatam habitationem factæ,
scribunt *JCti Marpurgenses*, id non esse sine difficultate.
Nam cum hoc non sit ex jure scripto communi, sed vel
ex consuetudine, vel Saxonica sanctione, neque ea utrobius
vires habeat, sed ibi, ubi lata & recepta est, arg. l. fin. ff. de ju-
risd. omn. *Judic.* neceſſe eſſet, ut consuetudo loci, vel receptio
Saxonice sanctionis probaretur, quia hæc facti eſſent, & facto
conſiſterent. Laudat D. Eubenius n. 9. *JCtum Hahnium*,
quod non ſimpliciter aſſeruiſſet, in tota Germania vigere
generalem consuetudinem emancipandi liberos per ma-
trimonium, sed quod cum restrictione locutus fuifſet,
item, quod *Mevius* non ſcripſiſſet, ubique, ſed multis in
locis talem consuetudinem ſervari. Et D. *Ludwellio* ac-
cedit, nec in Germania noſtra perpetuum eſſe iſtum morem
oſtententi. Tandem n. 11. in fin. monet, ſatus eſſet con-
ſuetudinis tyrannidi non ſubmittere legum falces, quam
ſicubi illa rite fuerit probata. arg. l. 27. C. de teſtam. nume-
roque 19. finali concludit: *Tutius itaque fuerit, ne niſi cujusque*
loci moribus & legibus probe iſpeſtis & attentis, in p raeſenti
*Articulo quicquam definiamus.**

Atque ita ex Evolutione omnium & singulorum

Scriptorum a parte contraria allegatorum, sole meridiano
 clarius est, id quod probari debuisset, non modo non pro-
 batum, sed etiam ipsius assertionem, multorum præcipui
 nominis Doctorum contradictione debilitatam & dubiam
 redditam esse. An igitur Judex discretus & prudens se-
 cundum ea quæ non satis explorata a parte adversa tra-
 dita, judicabit? justum id non esset ex vana quadam
 præsumptione Doctorum inter se etiam dissentienti-
 um, veluti præoccupato Judicio ad judicandum
 abripi. Non propterea, quod nos te putamus al-
 bus esse, inquit Philosophus, tu albus es, sed propterea,
 quia tu albus es, nos, qui dicimus, verum dicimus. *Arist.*
lib. 3. meteor. cap. 7. & lib. 9. cap. 10. Ita, non propterea,
 quod hic vel ille Doctor putavit consuetudinem esse, con-
 suetudo est, sed propterea, quia ignorantibus ostensa,
 pro vera habetur. Verum enim, non a subiecto dicen-
 te, sed ab objecto existente dependet. Ex talibus pro-
 bationibus autem, quæ cum certa Judicis scientia pu-
 gnant, nunquam quisquam fidem faciet Judici Prudenti
 & Justo, rem ita, uti dictum est & non aliter se habere.
 Nec illud verum dici debet, quod reputatur tale & ha-
 betur a pluribus pro tali, sed quod in se tale esse factis
 ipsi probatum est. Quia vero consuetudo est objectum
 cognoscibile, quod mediantibus probationibus, si adest,
 ostendi potest; ea probe, accurate, perfecte & dilucide,
 scrutanda, indaganda, percipienda. Et cur judex accu-
 ratam disquisitionem omittere, afferentique parti proba-
 tionem non injungere debeat; cur etiam opinio speculative
 probabilis, practicæ veritati, ubi formido oppositi adest, sit
 anteferenda, non video. Verisimile est, dicit Antagonista,
 totidem Doctores, qui affirmant, non errare. Verisi-
 mili quoque est ex hac parte; totidem Doctores, qui
 ne-

negant, non errare. Inde dubitatio exoritur, quæ fluctuat inter duas partes dubitationis, hæc nisi per probationem evidenter, in sensum incurrentem, tollantur, Judex nunquam ad sententiam firmiter justeque concipientiam procedere potest. Quia scientiam facti non habet, quæ ex primis & immediatis debet constare. Primo autem & immediate ex assertionibus nudis Doctorum, Scientia facti non comparatur, quia adhuc incertum est, an Doctores consuetudinem talem circumstantialiter sciverint. Quod igitur medium cognoscendi esse debet, per hoc tamen non cognoscitur, creditur verum, aut temere, aut tanquam verosimile, & sic cum metu falsi coniunctum est, Judicemque tute instruere nequit. Prudentis quippe proprium est, examinare consilia, & non faciliter credulitate & conjectura ad falsa delabi. Quod & Cicero observavit, *lib. 2. de Divinatione p. m. 391.* quando ait, Conjectura omnis, in qua nititur divinatio, in multas ac diversas, aut etiam contrarias partes sæpe ducit. Nam Conjecturæ reddunt animum dubium. De dubiis igitur, *Seneca in lib. de virtutibus cap. 1. monitum est,* circumspectus Judex non definit, sed suspensam tenet sententiam, nihilque inexpertum affirmat. Et quia non omne verisimile statim verum est, sicut & sæpius non continuo falsum est, quod primum incredibile videtur: Ergo Veram Causam conclusionis urget, nam scire est rem per causam veram & indubitatam (non apparentem, credibilem, aut verisimilem,) cognoscere. Causa illa postulata, per quam Judex ad credendum impellitur, ita nota esse debet, ut, positis requisitis, ad probationem necessariis, non aliter credi possit. Quis autem dixerit, Doctoris unius aut alterius, aut etiam multorum de consuetudine aliqua Asserta, requisitis ad probandum necessariis

fariis non adminiculata, sed alienam fidem sequentia, scientiam facti certam operari, & ex iis factum ipsum cognoscitur posse? Credat, cui quidvis credere promptum est.

IV. Ne pluribus his immorer ad IV. argumentum deveniam. Vt eo magis controversam consuetudinem Antagonista corroboret, eam Juris Gentium naturam induisse perhibet. Apud omnes enim moratores nationes & populos, ratione suadente, communi assensione introductum esset, ut per matrimonium jus Patriæ potestatis in filiafamilias dissolveretur, & quasi in manus Mariti resignaretur; Multos deinde Autores commemorat, qui de *Gallia, Britannia, Burgundia, Hispania, Lusitania, Italia, Longobardia, Belgio*, item de civitate Neapolitana id testarentur. Ad videatur *Petri Gilkenii tractatus de Præscriptionibus Part. 3. cap. 3. n. 35. seqq.* ibi ex multis Autoribus ostenditur, quomodo in afferendis consuetudinibus a parte adversa allegatis Doctores sibi invicem contradixerint, & quam temere illi faciant, qui, quod ab uno allatum de facto, pro certo & constanti confirmant. Quid in allegatis locis ratione patriæ potestatis obtineat, hoc loci investigare & scripto persequi desisto; Id tantum dico, illud non semper jus gentium ex naturali jure descendens esse, quod hæc vel illa gens recepit, sed est jus civile plurimum gentium distributum, quod potest a singulis tolli. Quemadmodum alia multa sunt, quæ juris gentium vocant JCTi, ubi de rerum divisione & acquirendo dominio agitur. Jus gentium verum, similitudinem juris naturalis habens, respicit utilitatem, non coetuum singulorum, sed magnæ illius universalis, adeoque humani generis. Quod de Jure emancipandi liberos dici nequit; id in imitando & mutuando communicandoque jure civili versatur.

Ideo-

Ideoque mutationi pro re nata obnoxium est. Distinguendum inter jus naturale φυσικόν (ita accipit Antagonista jus gentium, & ita accipi debet,) & inter jus civile, νομικόν, stricte ita dictum. Inter quæ discrimen manifestum est. Quod enim jus civile est, illud non statim pro jure naturali habendum, sive auctoritate juris naturalis donandum est; quippe civili legislatio-ne multa constituuntur, quæ nec in se; nec semper justa habentur, sed ex re nata saepius mutantur. Quod autem proprie est juris gentium, sive naturalis, illud apud omnes civitates, eandem & immutabilem auctoritatem obtinet. Omnesque gentes, & omnes civitates obligat, ita, ut, si nullum jus civile seu legitimum esset, jus illud gentium tamen civitates gentesque obligaret. Quia vero consuetudo emancipandi liberos per matrimonium, apud omnes gentes & civitates, & in specie ubi jus Romanum viget, non obtinet, uti supra ostensum fuit, sed una aut alia civitas aut gens, usu cum alia communem esse voluit, accurate loquendo, illa Jus Civile, non Jus Gentium constituit. Ex quibus apparet, consuetudinem, de qua sermo est, demonstrare, juris gentium esse, fortasse non tam factu primum. Vbi enim aliqua consuetudo per imitationem ad proprium usum, ab una gente ad aliam, atque ita tandem ad multas pervenit, non impeditur, quod tale Jus plurium gentium, sit & maneat jus civile. Et tale jus plurium gentium, (quod etiam jus gentium secundarium a quibusdam dicitur,) dum ex cursu quodam rationis practico constituitur, mutari utique potest, & variationes admittit, quia jus tale gentium non est pri-mum principium cum spiraculo vitae homini inditum, nec pertinet ad immutabilitatem juris naturalis ex ipsa providentia Naturæ naturantis, Numinis sanctissimi, pro-

M

veni-

venientis & mentibus omnium hominum inscripti, necessitatemque immutabilitatis habentis; Sed est arbitrarium & determinatio relicta est ei, eisve, penes quas est τὸ νόμον, seu ἀρχὴν νομοτάτην Reipublicæ; hi, si ita eis pro civium utilitate (quæ domesticum est principium juris civilis) visum fuerit, formam ac vim juri tali tribuere possunt. Ergo quod non est æque necessarium, non potest esse æque immutabile. Ex his videre est, consuetudines *Gallicas*, *Hispanicas*, *Italicas* &c. tam nos non obligare, quam non obligant Gallorum, Hispanorum, Italorum aut aliarum nationum exterarum leges & Statuta, propter defetum potestatis legislativæ, nisi in quantum decerpitur ex ipsis in usum, Autoritate aut consensu Imperatoris aut Supremi Principis accidente. Et quod de æquitate illius consuetudinis dicitur, nodum non solvit, nam & æquitas naturali æquitati conveniens, jam dudum eximie ostensa fuit a Doctoribus in legibus Romanis. Multarum Gentium consuetudines æquitatem quandam in se continent, istæ tamen vim legis apud nos non habent, nec habere debent. Scimus etiam, non necessarium esse, ut lex naturæ æstimetur ex multorum populorum placito, & quod jus naturæ quædam κατηγορίως, simpliciter, omni-que tempore agenda vel omittenda præcipiat: alia vero ιποθετικῶς, posito nempe, si hoc vel illud placuerit hominibus permittat. Simpliciter a lege naturæ præceptum esse Patribus, filias matrimonium contrahentes a patria potestate plane dimittere, edoceat Dominus Antagonista, & Phyllida solus habebit.

V. Ad Quintum argumentum venio; Societas conjugalis effet juris naturæ; Jus naturæ autem dictaret, ut dignior imperaret: hinc sequeretur, marito Dominium Aristocraticum in uxorem competere. Respondeo, Conjugium

91 (20)

um esse societatem naturalem, manifestum esse; Quia vero in omni societate necessum est, ut alius imperet, alius pareat, & vero in societate conjugali simplici præter maritum & uxorem nemo supereft, merito inter has duas personas quoddam Imperium obtinet. Deinde sicuti in Politia sunt Imperantium quædam prærogativæ καὶ σχήματι, καὶ λόγοι, καὶ τιμῶν, ita Marito ut digniori, ejusmodi prærogativis, & quidem semper gaudere, non est negandum, etiam ex æquitate juris naturalis. Ex his autem non sequitur, effectus patriæ potestatis in cœteris quæ conjugalem societatem non turbant, esse abolitos. Quia illi illæso conjugio bene consistere possunt. Quod vero Bodinus legibus naturæ repugnare, dicit, ut uxor non sit in potestate mariti, sed Patris, id odio Juris Romani, cui quavis occasione maledicere placuit, factum. Discernenda est potestas maritalis a patria; secundum analogiam attributionis distinguenda sunt illa quæ ad obsequia conjugalia peculiariter pertinent, ab illis, quæ ad reverentiam a filia Parenti exhibendam, ex provisione legis civilis, (potestati patriæ ex jure naturæ ortæ, formam qualificantem, certamque habitudinem præbentis,) determinate requiruntur. Sic facile patebit, potestatem civilem Patris in filiam etiam maritatem, minime esse contra naturam, potius naturali juri ab ipso naturæ Conditore omnium cordibus impresso, maxime faventem, cumque potestate maritali, si modo recte intelligatur, optime consistere posse. Vtraque vero est moderanda & ratione certa atque æquitate dispensanda. Certe, quicquid sentiant in hoc negotio Doctores, scribit Baro Enenckel, ubi contra Bodinum disputat, istud tamen dicere semper verebuntur, etiam naturalem illam parentum potestatem in liberos, & obsequia horum, natura &

lege Divinā debita, matrimonio tolli. Quod si ergo naturalis parentum potestas cum maritali jure consistere potest, cur non & aliquo pacto civilis? Certe effectus maritalis potestatis, qui marito tam ex jure naturali quam civili indulti sunt, non iniquum reddunt quod Parenti jure patriæ potestatis tam ex jure naturali quam civili debetur. Ita omnes, rem sine præoccupato animo moderate considerantes, judicaturos esse existimo. Et quia Patriæ potestatis commoda in Jure civili expressa, juri naturæ Divina Providentia constituto, non sunt contraria, nec eis per jus civile derogatur, Patria potestas contra Partis adversæ præconceptam opinionem merito obtinet. Jus naturæ indefinita relinquit, v. gr. determinationem contractuum realium, verbalium & consensualium, legitimations, substitutiones pupillares, Dominia, libertatem, emancipationem, Testamenti factionem & solennitates, & reliqua multa. Quamvis, si ipsa natura, ejusque intentio spectetur, quædam suo modo definita dici queant. Jus civile vero, indefinita definit. Non autem juri naturæ per omnia servit; Et licet illud non immutet, saltem aliquando circumscribit. Conferantur hic *Dn. D. Simonis optime notæ animadversiones in Guilielmi Grotii enchiridion, de principiis juris Naturalis, ad §. 3 & 4. cap. 3. & Christoph. Beßoldi Delibata juris ex lib. I. Pandect. §. 6.* Interdum jus civile novam aliquam qualitatem ex jure naturæ Debito adjicit, per id vero juri naturali primævo, quod naturæ humanæ innotuit statim ab initio & cum origine generis humani, secundum cuius præscriptum ex sententia etiam morationum gentium liberi parentum potestati (materialiter consideratæ) quamdiu vivunt, subjiciuntur. *Arist. lib. I. Polit. cap. 8. l. 2. de J. & J. L. I. §. 1. & 2. l. 9. ff. de obsequ. parent. cum similibus*, nihil detrahitur.

VI. Pergo ad Sextam Objectionem; quod Præcepto Dei contrarium foret, si mulier non deberet esse sub solius mariti potestate, sed manere sub Dominio Patris. Quia jus Divinum diceret, *relinquet homo Patrem & Matrem & adhæredit uxori sue.* Extarent quoque Verba Dei: *Vir tuus prævalebit, & dominabitur tibi.* Verba Scripturæ de-relictione Patris & matris &c. non derogant Patriæ potestati, non tollunt reverentiam Parentibus quovis modo, ad vitæ dies exhibendam, sed intelligenda sunt quoad oeconomiaæ institutionem, nominis transcriptionem, jus corporis mutuum, vid. *D. Danhauerus de conjug. cap. VII.* Nec opus est dubiis conjecturis, quid Spiritui Sancto phrasis, *Relinquet homo Patrem & Matrem,* significet, cum statim addatur, *& adhæredit uxori sue.* Sensus igitur est, quod maritus arctissimo maritalis fæderis vinculo uxori conjungatur, eandem intime diligat, proprium domicilium, relieto etiam Parentum consortio, si in vivis adhuc sunt, cum ea quærat, adeoque in una carne cum ipsa vivat vid. *B. Gerhardus in tract. de conjugio §. 14. & 44.* In summa, verba illa significant individuam associationem & conversationem, & in unam carnem conjunctionem. Quæ autem ad conjunctionem conjugalem restringenda sunt, Parentum potestatem in naturali jure fundatam, omniumque hominum cordibus insculptam, non tollunt, nec qualitatem a jure civili huic potestati adjectam, absorbent. Quod vero Deus mulieri dixit: *Vir tuus prævalebit & dominabitur tibi*, ad res conjugii & familiæ, in quibus maritus uxoris caput est, atque ita ad certa negotia pertinet, nempe ad sobolis procreationem, educandos liberos, curationem domesticam & administrandam rem familiarem ad voluntatem & jussus Mariti. Nulla enim esset ratio expediendi ac perficiendi negotia,

quorum causa certæ personæ in unam societatem coëunt, si imperium societatis non esset, quod, docente Aristotele optime monuit *Dominus Justus Christoph Hauffwolff in dissert. de imperio mariti in uxorem cap. I. §. 3.* Illud Imperium maritale vero consistere potest cum potestate patriæ, ambæque potestates, patria nimirum & maritalis, cum aliquo temperamento sunt intelligendæ. Maritus in corpus uxorius dominium habet, non vero in honorem Patri debitum, ad excludendum privilegia patriæ potestatis, quæ imperium maritale non turbant. Nec Deus illis verbis: *Vir tuus prævalebit tibi, Honorem Parentum, ad quem omnes liberi, sive extra conjugium, sive in conjugio vivant, ex jure naturali & divino obligati sunt, cujusque modum & ordinem, ordinatio Divina, Magistratus, præscribere & instituere valet, mediante potestate maritali, abrogare voluit.* Ideo si maritus contrarium imperet, eatenus uxori non prævalet. Etenim contra jus naturale, Divinum & Magistratus pias ordinationes, (quas Deus, si non formaliter & explicite, virtualiter tamen & implicite Imperantibus indulxit,) autoritas & regimen mariti non valet. Cum Aristotele dicam: *Kατ' αξένη γὰρ ὁ ἀνὴρ αἰχνεύει, τοῦ περὶ τὰν ταῦτα ἀδελφὸν.* Ex supra dictis apparet, objectionem Antagonistæ non consolidare, quod *Sara* maritum suum, *Abrahamum, Dominum* nominaverit, nec quod mulieres secundum *Divi Pauli* iussus, subditæ esse debent maritis; quia id de obsequio conjugali, & non de iis, in quibus marito nullum jus competit, intelligendum. Quamvis etiam in jure civili, testante *Paulo JCto*, Matrona Maritum in literis Dominum carissimum salutaverit, & alia apud *Scævolam* in ordinatione ultimæ suæ voluntatis, Maritum, Dominum suum vocaverit, imo, addo ego, quamvis alibi

Muli-

2) 95 (2)

Mulier testatrix *Publio Mævio* marito blandita, *Dominulum*
υπονομισμῶς nominaverit: *Publio Mævio*, *Dominulo meo* ac
heredibus meis dari volo quinque ex meis l. 41. *Vxori*. §. *Te-
flamento ff. de legat.* 3. ex eo tamen non poterit concludi,
per blanditias tales mulierum, legibus imperatoriis quo-
ad patriæ potestatis Ordinationem derogatum esse. Quin,
salva potestate patria, uxorem decet reverentiam exhibe-
re marito l. 14. §. *fin. ff. solut. matrim.* & mariti volun-
tatem decenter sequi tenetur arg. l. 8. C. *de inoffic. donat.*
Cæterum ex verbis civilitatis non statim sequitur obli-
gatio; multos appellamus Dominos & Dominas quibus
tamen nos nulla ex parte subjicimus. Si ex sola nomi-
natione arguendum esset, Maritum in potestate Vxorū
esse, Antagonistam convincere possem *ex L. 41. Vxori* §.
Testamento ff. de Legat. 3. ibi Maritus uxorem, suam *Dominam*
appellavit; & uxor fidei commisit in hæc verba: Peto
abs te *Domina Vxor*, ne ex fundo Titiano partem tibi
vendices. & l. ult. ff. *de auro & argento legat.* Vxori suæ
testamento ita legatum est, *Sempronie, Domina mea*, hoc
amplius argentum balneare &c. Hujus generis sunt &
illa viri testantis ad uxorem verba, *Domina Sanctissima*,
scio te de amicis meis curaturam, i. e. *uxor l. 19. Titia* §.
qui *Marco ff. de ann. legat. ita Ovidius* ad uxorem, ejus ad-
ventum colloquiumque desiderans:

Nuntiet hunc aliquis Dominam venisse, resurgam.

Ovid. lib. 3. de tristibus. eleg. 3. Deinde post paulo:

Nec Dominæ lacrymis in nostra cadentibus ora.

Sed forsan illæ Vxores, quæ Dominæ dictæ sunt, emanci-
patæ fuerunt.

VII. Venio ad Septimam instantiam, quod ex
Dominio mariti in uxorem, sequeretur, patriam potesta-
tem per nuptias dissolvi: Quia duo in solidum unam
can-

eandemque rem possidere non possent. Quisquis enim rem haberet, sive naturaliter, sive civiliter, aut non possideret, aut solus possideret. Allegat Dominus Antagonista Treutlerum 2. disp. 21. th. 4. in fin. ubi leges huic opinioni contrarias redolere Sabinianam hæresin dixisset &c. An duo eandem rem in solidum possidere, vel habere possint, inter Proculianos atque Sabinianos disputata fuit quæstio, quæ adhuc in Scholis agitatur, & in utramque partem dissentientes suos affieclas & defensores habent. Sed distinguendum. Eatenus duæ possessiones concurrere non possunt, quatenus ejusdem partis, loci & qualitatis respectu sumuntur. Maritus possidet corpus uxorius, & respectu conjugalium juriū quodammodo ejus est Dominus. Pater vero possidet filiam, quatenus est Pater, & respectu eorum jurium quæ ad patriam pertinent potestate. Ita possessio est distincta respectu diversarum qualitatum compatibilium, nec Vxor simul a Marito & Patre indivisim possidetur. Hacque distinctione perpenfa, Sabinianorum opinio non est absurdia. Quod Bartol. ad l. 3. §. ex contrario ff. de acquirenda vel amitt. poss. luculenter docuit. Hinc Pompon. in l. & habet 15. §. 4. ff. de precar. Eum, inquit, qui precario rogaverit ut sibi possidere liceat, nancisci possessionem, non est dubium. An is quoque, qui rogatus sit, dubitatum est. Placet autem penes utrumque esse eum hominem, qui precario datus esset, penes eum, qui rogasset, quin possideret corpore, penes dominum, quia non discesserit animo possessione. Et ita etiam contrariae leges a parte adversa citatæ, distinctionis fœdere conciliandæ erunt. Quo etiam facit l. fin. ff. uti possid. ubi expresse Vlpianus ejusdem fundi respectu, & domino, & fructuario, & usuario, tanquam veris possessoribus interdictum uti possidetis concedit. Singuli enim suum

suum jus habent, cuius respectu possident per l. usus pars ff.
 de usu & habit. Bart. Ad d. §. ex contrario n. 13. Ad legem 5.
 §. ult. ff. commod. quod attinet, ubi dicitur, ut rem, ita per-
 sonam in potestate plurium esse non posse, ea ex eis quæ
 jam adduxi, erit intelligenda, ita glossa in d. l. 5. §. ult. di-
 stinguens, diverso jure duos eandem rem in solidum pos-
 sidere posse ait, & lex illa satis docet, sic eandem perso-
 nam diverso genere in potestate duorum esse posse.
 Quod Baro Enenckel. in tractatu suo exactissimo de Privilegiis
 Parentum & liberorum. Privil. I. cap. VII. optime quoque
 consideravit. Ut miles, inquit, in potestate Patris est, &
 tamen Imperio Ducis continetur: Sic filia elocata manet
 in patria potestate, licet viro certis casibus subsit. Ita
 de consuetudine Regni Franciae uxorem transire in po-
 testatem Viri, nec tamen eximi a potestate Patris, affirmat
 Job. Faber in §. I. Inst. in SCt. Tertyll. Et filia nupta est in
 familia mariti, in his tantum quæ ad obsequia marito præ-
 standa pertinent. Tiraquell. in l. I. connub. gloss. I. Part. I.
 n. 37. Baro Enenckel d. cap. XII. n. II. Vterque, tam Pater,
 quam Maritus, eandem personam, ille ut filiam, hic ut
 uxorem, in potestate habent, diverso nimirum, ut dixi,
 modo. Ita etiam Dd. cum Baldo in l. I. C. de bon. que lib.
 distinguunt inter potestatem Patriam & Maritalem, do-
 cendo, quod quoad quædam Vxor sit in potestate ma-
 riti, & quoad quædam maneat in potestate Patris. In
 tribus est in potestate mariti (1) quoad obsequia (2) quoad
 jurisdictionem, sequitur enim forum mariti. (3) quoad
 operas, tenetur enim uxor secundum conditionem suæ
 personæ operari marito, in rebus domesticis. Quoad re-
 liqua & alios actus juris civilis, filia-familias uxor manet
 in potestate Patris, juxta l. si uxorem 5. C. de condit. insert.
 & l. patri 20. ff. ad L. Jul. de adult. cum similibus ibique Dd.

N

Vnde

Vnde vivente Patre non potest testamentum condere,
 nec donare causa mortis potest, sine consensu Patris l. tam
 is 25. ff. de mortis caus. donat. Schneidewin. ad lib. I. Instit.
 Tit. XII. Quibus modis Patr. potest sol. §. sed et si Pater n. 6. & 7.
 Angel. in §. præterea Instit. de injur. Bernhard. Wurmser. obs.
 Pract. IX. lib. I. glof. Instit. de SCto. Tertyll. §. postea D. Christo-
 phor Zobel in addit. ad Land-Recht lib. I. Artic. 31. lit. f.
 Imol. conf. 133. vol. 4. D. Helfricus Vlric. Hunnius lib. I. variar.
 resolut. tractat. 3. quæst. 35. in fin. Nec me movet objectio
 invalida, quod contraria non possint esse in eodem
 subjecto, contraria autem viderentur, esse in potestate
 Patris, & esse in potestate Mariti. Cap. Si quis 58. di-
 finet. Et quod conturbaretur jus conjugale, quando
 mulier cogeretur duorum jussa sequi, mariti & Pa-
 tris, unde Vlpianus monuisset, bene concordantia ma-
 trimonia jure patriæ potestatis turbanda non esse. L. I. §.
 ult. ff. de lib. exhib. quod ipsum etiam Bodinus de Republ. lib.
 I. cap. 3. adduxit. Respondeo; Regula, quod Contraria
 non possint esse in eodem subjecto limitanda, quod id non
 fieri posit simul, secundum eandem partem & in gradibus
 excellentibus. Ita non est novum eandem rem ex
 diversis causis & rationibus, diverso jure censi, ut pro-
 batur in l. miles §. pro parte ff. de leg. 2. vid. Tiraquellus in
 tract. de Nobilitate cap. 28. n. 10. seqq. & ex præcedentibus
 illud fatebit, Patriam & maritalem potestatem non ut
 Contraria adæquata se mutuo expellentia, debere considerari,
 quia Patria potestas non maritalis potestatis, nec hæc
 illius negationem privative involvit. Receptam Reve-
 rentiam quidem bene morata Vxor marito suo exhibit,
 nihilominus in patris potestate manet; Et quæ respectu
 mariti, materfamilias: respectu Patris, filiafamilias di-
 cenda est. vid. Franc. Hottmannus ad §. fin. Instit. de Patria
 Potest.

sbn.

Potest. jung. Bachovius Echtius ad §. ult. Institut. Quibus modis patria potest. solv. Itaque quod secundum subiectam materiam intelligendum, non simpliciter sumi, nec ad alienum sensum detorqueri debet. *Vlpiani* dictum quod attinet, non video quomodo ex illo loco probari possit, quod patria potestas per matrimonium filiae tollatur, nam tale quid ne verbo quidem uno *Vlpianus* innuit, sed tantum loquitur de Patre, qui cum initio consenfisset matrimonio, postea nullam ob causam bene concordans matrimonium dissolvere conaretur, acerbe patriam potestatem exercendo. Nam ad istum modum *Vlpiani* responsum accipi oportere, rescriptum optimorum Imperatorum in l. I. §. 1. C. de repudiis, aperte probat. Poterant olim parentes liberos suos, etiam juste oppulatos jure patriæ potestatis vendere, poterant eos oppignorare vel quo alio modo alienare, atque ita a conjugi abstrahere jure patriæ potestatis. Sed monendos esse parentes, *Vlpianus* censuit, ne id temere facerent, neve patriam potestatem acerbe exercent. Hoc sensu *Vlpianum* etiam *Jacobus Cujacius* intellexisse videtur, in *parat. ff. de ritu nuptiarum*. De tali acerbitate conqueritur illa filia apud *Ennium* hoc modo: Injuria abs te afficio in-digna, Pater, nam si improbum esse Crespontem existi-maveris, cur me huic locabas nuptiis? si est probus, cur talern invitum invitam cogis relinquere? In his ter-minis non versamur, sed ut Patria potestas salva manere debeat salvo matrimonio, illudque observandum, ut jus & Patri & Genero integrum servetur semper, & quam minime alterius exercitio alteri derogetur. *vid. Baro Enenckel in d. tract. de Privileg. Parentum. Privil. I. cap. XII. n. 13. 14. & 15.*

VIII. Octava Instantia mere captiosa est, & ex
N 2 fallo

falso præsupposito constat; Nam ita arguit Dominus Antagonista: consuetudo emancipandi filiam per Nuptias ad usum Germaniæ civium aptata ac civitate donata es-
set; Constatet autem illud omne jus civile dici, quod universaliter quædam hominum congregata multitudo vel major pars populi tacito consensu, utilitatis publicæ causa faceret; sequeretur ergo, prætentam illam con-
suetudinem generaliter in usum civium recepram, esse
juris civilis. Si autem ea juris civilis es-
set, merito etiam ut jus commune deberet servari, in iis locis ubi
jus commune scriptum vigeret. Committitur petitio
principii in antecedente. Effectum causæ ponit, cau-
samque dicit, minime vero ostendit; Cum tamen causa
natura notior esse debeat effectu. Negata autem causa
quoad esse absolutum, negatur effectus, qui dependet a
causa, & natura prior est effectu, secundum illud esse
quo influit. Irritum ergo argumentum Adversarii a
non apparente causa petitum deprehenditur: Nondum
enim probavit consuetudinem, quam dicit generaliter
in Germania esse introductam & receptam. Quæ non
ex Autoritate dicentium, sed ex Veritate factum ipsum
solide ostendentium, debet æstimari.

IX. Nonum argumentum a vicinitate est peti-
tum, & quædam territoria enarrantur in quibus filiæ
per nuptias a patria potestate liberarentur. Inde conclu-
ditur, quod præsumeretur idem jus *in Ducatu Brunsui-
censi* obtainere. Colorem id aliquem haberet, si primo pro-
batum es-
set, in omnibus denominatis locis morem eman-
cipandi filias per nuptias obtainere; secundo, si non exta-
ret expressa ordinatio Ducalis, *in qua mores juris Saxonici,
fine ullo discrimine generaliter abrogati*. Iuxta hanc Ordina-
tionem, non attentis moribus aliquorum vicinorum (si
illi

illi probari possent,) Judex tenetur præcise judicare. Quia Judex, ut legis minister, *Serenissimorum Legislatorum* facto derogare nequit. *L. 1. in fin. C. de feriis* Judicisque non est cognoscere de legibus, sed latae ita in factis occurrentibus, exequi, eas custodire, & secundum eas ferre sententiam *Novell. 82. cap. 13.* non suo duci sensu; alias enim jus ex arbitrio Judicum magis, quam constitutum autoritate dependeret, ut cum *Zafius* sentit *Mevius* tract. de levam. inop. debit. cap. 2. n. 12. jung. Dn. D. *Landwehr* tract. de Relationibus Judic. aphorism. 13. n. 2. Si vero Judex jura constitutionis negligendo, Legislatorem sententia sua agere sibi præsumit contra constitutionem judicando, nulliter pronunciat. *L. 1. §. item cum contra sacras constitutiones 2. ff. quæ sentent. sine appell. resp. nec rei judicatæ exceptio inde oritur. L. 5. & tot. tit. C. quæ sent. sine appell. resp.* Jus igitur Ordinatione Ducali hoc in Ducatu determinatum, ad consuetudinem in vicinis quibusdam locis arbitrarie introductam, abusiva & cerebrina aliqua æquitate non est detorquendum. Investigatio enim juris vicini tum demum locum habet, quando casus in jure loci non est decisus. Sed hic sumus in claris, quid ergo opus est conjecturis? *arg. l. 137. §. 2. ff. de. V. O. l. 12. C. de furt. Exelleniss. Dn. D. Feltmann. in Decis. Fris. oriental. Decade 1. Decis. 8. n. 29.* Quia in his quæ Judicij normam dant, jus certum finitumque esse dicitur, nec opus est Judicis arbitrio. *L. 15. pr. ff. ad municip. l. 1. §. 1. ff. ad SCtum Turpil. Dn. Job. Christ. Stromann in Doctissimo tentamine Juridico inaugurali de Judicis Arbitrio. §. 32. & 23.* Præsertim ubi lex generalis est, *qualia jura in sententionando de beant Simpliciter observari*, quemadmodum in Ordinatione *Serenissimorum Ducum Brunsvico-Luneburgensium* disertissime eorum voluntas declarata est, quod deficiente *Consuetudine*

dine aut Statuto locali, secundum Jus commune Romano-Cæsareum causæ debeat judicari. L. 32. & ibi Dd. ff. de re judic. Secundum jus vero commune Romano-Cæsareum, filia etiam nupta & in domum mariti deducta manet in patria potestate. Si igitur contra ius scriptum judicaretur, id non esset judicare, sed a jure recedere. Dr. Strommann d. tentamine Jurid. §. 34. per LL. ibi allegatas. Mores itaque vicinorum huc non pertinent, cum ultra territorium ubi introducti & recepti sunt, nihil operentur. arg. l. ult. ff. de jurisdict. ibique Dd. Alexand. lib. 1. conf. 128. n. 1. Gozad. conf. 37. n. 14.

X. Denique ultimo objicitur; Hodie jus patriæ potestatis ex jure Romano petitum, apud nos Germanos non superesse, ideoque cessante causa sive jure, cessare quoque juris effectum. Objectionis hujus firmitudinem adversa pars in autoritate nominatissimorum JCtorum Godofredi a Jena, Bacchovii & Franzkii positam esse perhibet. At illi in locis allegatis, non agunt de effectibus Patriæ potestatis juri communi conformibus, sed de atroci illo imperio paterno ex Romuli & Decemvirorum sanctis instituto, per quod laxissima privatæ ultiōnis potestas parentibus erat indulta. Ejus hodiernam Parentum potestatem ne umbram quidem habere, non immerito dicitur. Jure enim vetustissimo pater in filiam habebat jus vitæ & necis, quod jure novo Justinianeo, moribusque nostris pristino rigori cum aliis multis est ademtum, & patriam potestatem non in atrocitate sed pietate consistere debere ordinatum est. L. 5. ff. ad L. Pompej. de paricid. L. 2. ad L. Corn. de sciar. Nemo autem JCtorum cordatorum hactenus simpliciter statuit, Patriam potestatem quam Parentes ex jure civili, (Honori parentibus jure naturali debito notabiles aliquas qualitates & prærogativas applicante,) sibi vendicant, penitus esse sub-

sublatam. Imo ea, sano sensu si accipiatur, etiamnum durat, quoad liberorum Matrimonia. *Princ. Instit. de Nupt.* & §. si adversus. 12. eod. §. sed si quis 7. *Instit. de Nupt.* *Carpzovius in Jurispr. Consistoriali lib. 2. tit. 3. defin. 43.* *Paulus Cypræus in tract. de Sponsalibus cap. 6. §. 5.* *Job. Harprecht in princ. Instit. de nuptiis vid. Ordinatio Novella Serenissimo-rum Ducum Brunsvic.* & *Lynieburg. de Sponsalibus & Nuptiis Wolferbyti promulgata An. 1684. §. I. & 2.*

Quoad Nuptias secundas viduarum l. vidue. C. de Nuptiis. *Donellus lib. 13. cap. 20. lit. X.* *Mauserus de Nuptiis.* p.m. 331. *Brunnemannus ad L. d. vidue. C. de Nuptiis.*

Quoad Ordinationem testamentorum. *Inst. pr. quibus non est permitt. facere testam.* *Schneidewinus. Mynsin-gerus & omnes ad hunc titulum.* Item Codicillorum. L. 6. §. codicillos ff. de jure Codicill. Bartol. Jason. Dauthius. *Brunnemannus & communis Doctorum Schola. ad hanc legem.*

Quoad Donationes mortis causa L. tam is 25. §. 1. ff. de mortis caus. donat. *Schneidewinus ad §.* Sed et si pater. *Instit. quibus mod. Patr. potest. solv.* *Arumeus ad d.l. 25. ff. de morris caus. donat.* *Graff. in §. donatio causa mortis. qu. 3. n. 35. & 5.* *Tessaur. decis. 150. n. 10.* & hujus generis alia. Quod tam in filiis quam viliabus Judicia quotidiana publice loquuntur, omniumque rerum magistra, Experientia, notorium fecit. In specie vero nulla Sanctio Imperialis ostendi poterit, in qua cautum, quod filiafamilias in Germania, post initum matrimonium, a nexibus patriæ potestatis contra juris Cæfarei placita, libera censeri debeat. Nemo etiam consuetudinem generalem in toto Imperio Romano-Germanico receptam, emancipandi filias per nuptias, aut separatam habitationem, probabit, multo minus Patriam potestatem in Germania plane non repeiri. Cur vero id non deberet stare, quod non est prohibi-

hibitum nec mutatum? arg. l. sancimus 27. C. de testam. l. præcipimus 32. in fin. C. de Appell. Atque ita etiam pro Patria potestate, secundum jus commune Romano-Cæsareum, quod in Ducatu Brunsvico-Lyneb. in judicando observari debet, Domini J.Cti Helmstedienses J. C. S. civi huius Ducatus. d. 18. Augusti 1648. & novissime ad consultationem J. A. C. d. 13. Julii 1688. Responderunt.

Quæ cum ita se habeant, salvo rectius statuentium iudicio, sentio: Filiam-familias in illis Provinciis Germaniæ, ubi controversiæ causarum secundum juris communis leges debent decidi, & in primis in Ducatu Bruns-vic. & Lyneburg. Partis Wolferbytanæ, vi Ordinatio-nis Provincialis, necessitatem Judicibus secundum jus commune Romano-Cæsareum judicandi imponentis, non probato Statuto, aut Consuetudine locali juri com-muni contraria, etiam post contractum matrimonium, in solius Mariti potestatem non transire, sed in Patris potestate (distincte & peculiariter, secundum di-versas habitudines considerata,) manere.

F I N I S.



Ka 1207

X243452A

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches
Centimetres

Farbkarte #13

D. HIERONYMI ANDREAE
HOC EST
PER CELEBRI IURISCONSULTI ET POETAE
GOTOFREDI WILHELMI
SACERI

I. V. D. ADVOCATI ORDINARI IN CANCELLARIA DUCALI
WOLFERBYTANA, ET CONSVENTIS CAMERAE

COMMENTATIO
DE

**POTESTATE PATRIS IN
FILIAM MARITATAM**

SEV
DISCUSSION
QUAESTIONIS,

AN FILIAFAMILIAS A NEXIBVS PATRIAEE POTESTA-
TIS, ETIAM ADVERSANTE JVRE COMMUNI ROMANO-
CAESAREO, SEV JVSTINIANEO, IN OMNIBVS PROVIN-
CIS GERMANIAE INDISTINCTE, PRAESER-
TIM AVTEM

IN DVCATV BRVNSVICO - LVNEBURGICO
WOLFERBYTANAEE PARTIS

PER NVPTIAS ITA LIBERETVR, VT STATIM IN SOLIVS MA-
RITI POTESTATEM TRANSEAT?

EDITIO SECUNDA
QVAM PROCVRAVIT, ATQVE PRAEMISSA AVCTORIS VITA LOCVPLETAVIT
M. WILHELMVS CHRISTIANVS JVSTVS
CHRY SANDER.

HELMSTADII A. 1745.
STANNO SCHNORRIANO.

